5


RELATIO EORUM
Quæ circa
SAC. CÆSAREÆ MAIEST.
AD
Magnum Moſcorum
CZARUM
ABLEGATOS
ANNIBALEM FRANCISCUM de BOTTONI,
Sacri Romani Imp. EQUITEM,
Archiducalis Regiminis in Infer. Auſtria
CONSILIARIUM,
ET
JOANN. CAROLUM
TERLINGERENUM de GUZMAN,
Sacræ Cæſareæ Majeſtatis CONSILIARIUM,
Anno Æra Chriſtianæ 1675. *geſta ſunt,*
Strictim recenſita
PER
ADOLPHUM LYSECK,
dictæ Legationis Secretarium.
Cum Permiſſu & Facultate Superiorum.


SALISBURGI,
Sumpt. & Typis JOAN. BAPT. MAYR, Typographi Aulico-Academici, 1676.

Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo
DOMINO, DOMINO

GEORGIO LUDOVICO,

Sacræ Rom. Imp. THESAURARIO
HÆREDITARIO,
Comiti de SINZENDORFF,
Comiti in Thanhauſen, Neuburg & Wehrſtain ad Oenum, Libero-Baroni in Enſtbrun, Domino in Fridau & Rennerſtorff, Domino Dominiorum Walperſtorff, Ainöd, Wald, Waaſen, Mainburg, Weiſſenburg & Kirchberg an der Puellach / Sizendorff, Gfœl, Peyerbach & Pruck an der Aſcha / Domino in Poſtelberg, Konopiſcht, Bittoſez, Tauſchetin, & Ploſchæ &c.
Superioris Auſtriæ HÆREDITARIO
PINCERNÆ,
Nec non
AUREI VELLERIS EQUITI,
Sacræ Cæſareæ Majeſtatis
CONSILIARIO INTIMO,
CAMERARIO,
Regio in Regno Bohem. LOCUM TENENTI,
Et
Auſtriacæ, nec non Bohemicæ Cameræ
Supremo PRÆSIDI, &c,





ILLUSTRISSIME
AC
EXCELLENTISSIME
COMES,
Domine Gratiosissime.



Egationis *Cæsareo-Czareæ* conscripsi Relationem, quam ut Excellentissimo *Nominis Tui* splendore illustrarem & devotus adegit animus, & operis suasit ratio: Ille etenim, cùm ex Moscovia redux, post *D. de Bottoni* Ablegati Primarij fata, & ego in eâdem luctarer vicissitudine, *Manus Tuas auxiliatrices* expertus, respiravit; hæc verò (quod omnibus tum Legationibus,

bus, tum pacis transactionibus solenne) *Tuo* per Cameram *Præsidio* feliciter fuit expedita. Hinc tantò sese clariorem autumat, quò majus ab *Illustrissimo Tuo lumine* in se *jubar* illa sentit derivatum. *Qui* summa & reliqua sileam, non modò antiquissimâ *Sinzendorffiorum* splendescis Prosapiâ, sed inauratus *Aureo Vellere* gloriaris *Eques*, & inter Consiliarios *Invictissimi* LEOPOLDI *Intimos* effulges: quin triginta etiam pluribúsque annis *Cameræ Præsidium*, indefessus Hercules *humeris* sustulisti; Unde *Tibi, totíque Familiæ* sempiternum enascitur gloriæ emolumentum. Non commemero *Tuam* in *augendo* Cæsaris *ærario industriam*, in conservando *sedulitatem*, in præsidendo *prudentiam*; quæ *Te Præfectum*

ſollicitum, *Tutorem* fidum, *Diſpenſatorem* circumſpectum univerſo terrarum orbi teſtantur, ut exinde *Tua* in Cæſarem *Fides*, in alios *Gratia*, in *Te*, *Tuósque Fama* redundet glorioſa, nullis ſæculis oblitteranda. Liceat igitur *Illuſtriſſimo Tui Nominis* titulo Relationis frontem decorare. *Tu* verò *Excellentiſſime Comes* ſuſcipe innato favore enarrationis *tabulam* quam *votivam* ad Illuſtriſſimas *Excellentiæ Tuæ* ceras devotiſſimè ſuſpendo debitæ ſubjectionis *Mnemoſynon*; ſuſcipe non parturientem *Atlantæi Operis* theſaurum, ſed obſequioſum *Neographi* conatum, eundémque conſuetis gratiæ votis promove, ut ad plura & majora, ſub tutiſſimo *Excellentiæ Tuæ* clypeo, excudenda


da

da proferendáque non inglorius accendar.: Aſpice obſervantis animi *argumentum*, *Tibi* devotum, *mihi* conveniens, & *feliciſſimo*, Domus Auſtriacæ bono, *Cameræ Præſes* vive *Præſidio*.

Excellentiæ Tuæ

Servus humillimus

ADOLPHUS LYSECK.



Ad Lectorem.

PRidem quam nunc cernis amice Lector Relationem typis evulgâssem, si Luci eam tradere animo fuisset deliberatum: sat enim habui scripto amicis communicari ea, quæ calamo à me excipi, & Augustissimæ Aulæ huc transmitti officij quod gerebam partes imperabant. Contigit autem ut eorum numerum, qui relationem scriptam rogitabant, publicæ Lucis spe oportuerit consolari. Ad quod uti plurimorum cohortabantur studia, sic fatalis propemodum morbus, qui reducem corripuit, animum ab eâdem & vires avocavit. Redintegratâ nunc valetudine, & priores stimulos adhibentibus amicis pareo, & quæ mea hactenus tenui, publici juris volo. Ea tantum recenseo, quæ oculis auribúsve in itinere percepi ipsemet; cùm præter Dominos Ablegatos de Legatione ego unicus conferentiis interfuerim. Divinare quædam & exaggerare aut ut chartas expleam librorum furta conquirere, necesse non habeo: nec aliud nisi quod ad præsentem relationem pertinet volo tractare: plura qui volet plenos de Moscovia libros consulat. Tu lege, & fave.



Caput I.
De Moscovia & Legationis Causa.

Russia extremæ Europæ, quâ Asiam tangit conterminam, pars continens, ut Regionis amplitudine, sic nemorum solitudine vastissima: Moscoviæ nos eam vocabulo cum omnibus quæ *Czaro* (Imperatorem hoc sonat) parent Regnis & Principatibus, â *Moscua* metropoli compellamus. Regionis longitudo 30. latitudo autem 16. gradus, quorum uni 15. milliar. germ. commensurantur, facilè exuperat. Etenim si omnes quas nunc imperio suo adjectas frænat provincias (nomina earum, ne eadem crambe sæpius recoquatur, Czari titulus præferet) connumeres; terminos habet ab Ortu communes Europæ fines, hoc est Obium, & Tanain *Don* fluvios: â Meridie Tartariam tangit minorem, flumina item Tanain minorem *Donetz*, Des-

nam, acPſolam: ab Occaſu Poloniæ ac Sueciæ regnis confinis, Boryſthene *Dnieper*, & Narva fluminibus concluditur; ab Aquilone *Arcticum* egreſſa *circulum* fines per mare glaciale producit; regio non frigoris minus intemperie, quàm æſtivis caloribus aſperrima, & quamvis uligine, ac ſolitudinibus horrida, frugibus tamen, quæ ſoli clementia ſingularis adeò affluens, ut copiam ingentem quot annis valeat alijs provincijs ſubminiſtrare.

Meditullium propè omnis patriæ æquali, à limitibus ſpatio cujus ſemi-diameter, ubi minima eſt, 120. mill. germ. conſtituat, *Moſcua* regni & principis ſedes occupat: ab *Æquatoris* circulo declinans latitudinem geographicam juxta Ricciol. 55. grad. 18. min.; longitudinem verò à primo qui *Palmam* ex Heſperidum ſive fortunatis inſulis unam tranſit *Meridiano* 55. recedens, 64. grad. 30. min. ſortita. Perimetro ambitur quæ terna mill. germ. excedat, & ædificiorum numerat pluſquam quadraginta duo millia, monaſteriorum autem & Eccleſiarum millia duo: in ſenas

ea

ca urbis partes, totidem ſpatioſas civitates vocites, eo qui ſequitur ordine, diſtributa.

Kitay gorod, ſeu Media Civitas in ipſo quaſi centro, valido rubro muro, *craſna ſtenna* vocant, cingitur, quam ab Auſtro fluvius *Moski*, qui urbi & nomen indit, ab Aquilone autem *Neglina*, quæ infra *Cremelinum* arcem in *Moski* ſe exonerat, alluentes pen-inſulam efficiunt. Dimidiatam *urbis mediæ* partem arx occupat *Cremelinum*, cùm elegantiſſimis, tum numeroſiſſimis deauratæ laminæ turribus, lucente præſertim ſole, viſu pulcherrima, & vicies mille hominum, quos Czarus præſidij cauſa perpetuò alit, ſat amplum hoſpitium. *Czar gorod* ſeu Imperatoris Urbs fortibus albis muris, *biela ſtenna* conſurgens Mediam Civitatem ſemilunæ inſtar ambit. Munita itidem fortibus muris, tertia urbis pars *Skorodom* eâdem figurâ Urbem Imperatoriam extima circumcludit. His *Streliza Sloboda* ſive Militaris, & ſuburbiorum loco *Sloboda Polonica*, paritérque *Sloboda Germanica* leucæ ſpatio accedunt. Hanc urbem Moſcuam præſentibus nobis centum virorum millia; campum autem & cætera præ-

præsidia, alia ducenta millia tenebant: formidandus exercitus, si omnes Thyrsigeri forent etiam Bacchi, & qui arma ferunt militaria nossent ea militariter tractare.

Atque hæc in fronte collocata disponendo lectori sufficiant; reliquis in calcem dilatis, eo quo institutum vocat, depropero, ipmsáque Cæsareæ Legationis expeditionem, fide illâ, quæ alteriusDominorum Ablegatorum, reliquorúmque comitum superstitum censuram non erubescat, succinctè refero.

Annus agebatur æræ Christianæ 1675. quo Cæsareo deliberatum consilio & conclusum, binæ Moscorum Legationi huc Viennam destinatæ, & arctiorem cum Augustissimo Imperatore LEOPOLDO correspondentiam negotiosè sollicitanti, mandatâ pariter Ablegatione satisfacere, & Czari mentem explicatius insinuato super negotio investigare, tractare, & fœdus percutere. Delecti huic muneri Annibal Franciscus de Bottoni, S. R. I. Eques, S. C. M. in excelso Inferioris AustriæRegimine Consiliarius: & Joannes Carolus Terlingerenus de Gutzman S. C. M. Consiliarius, qui

plena

plena tractandorum potentiâ, & litteris Credentialibus, SalvíqueConductûs instructi, viæ sese & negotijs, eo qui Cæsareos Ablegatos deceret respectu accinxerunt. Cæsarei Latini Diplomatis, quod publicam Czaro fidem faceret transcriptum exemplar subjungo.

NOs LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtenbergæ & Tecke, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Goriziæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio S. R. I. Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. &c. Agnoscimus & notum facimus pro nobis & hæredibus ac successoribus nostris, tenore præsentium universis: quòd cùm intelligeremus Serenissimum ac Potentissimum Dominum Czarum & Magnum Ducem Ale-

xium

xium Michaelovik, Totius Magnæ Parvæ & Albæ Russiæ Auto-cratorem Moscoviæ, Kioviæ, Volodomiriæ, Novagardiæ, Czarum Casani, Czarum Astracani, Czarum Sibiriæ, Dominum Pleskoviæ, & Magnum Ducem Smolensciæ, Tiveriæ, Jugoriæ, Permiæ, Veatkæ, Bolgariæ aliorúmque Dominum & Magnum Ducem Novagardiæ inferioris terræ Tsernigoviæ, Resaniæ, Rostoviæ, Jaroslaviæ, Beloosiriæ, Udoriæ, Obdoriæ Cardinciæ ac totius Septentrionalis oræ Dominatorem & Dominum Iveriæ terræ, Cartalinensium & Grussensium Czarorum, etiam Cabardiensis terræ Tserkassiensium & Gorissensium Ducum, nec non aliorum multorum Orientalium, Occidentalium & SeptentrionaliumDominiorum & Ditionum Paternum & avitum hæredem, Successorem Dominum & Dominatorem, Amicum & Fratrem nostrum charissimum, &c. ad tractatus pro arctiori nobiscum correspondentia, próque mutua Regnorum Provinciarúmque utrinque nostrarum securitate, atque defensione ineundos propendere; & nunc si unquam aliàs motus in Christiano verè Orbe toto excitati,

tati, ac porro per Septentrionem minitantes id mutuæ defenſionis ac ſecuritatis opus maturari & quàm firmiſſimè conſtitui poſtulent; Nos, ne aliquid ejus, quod ad quietem & ſecuritatem publicam quaquaverſum, & in ſpecie per Septentrionem etiam firmandam pertinet, in nobis deſiderari poſſit, noſtram pro communi cauſæ curam ad hoc quoque tam ſalutare negotium, omnino adferendam duxerimus; adeóque de fide rerum uſu & prudentia Honorabilium fidelium nobis dilectorum Annibalis Franciſci Bottoni Conſiliarij Regiminis noſtri Archiducalis in Inferiore Auſtria; uti & Conſiliarij noſtri Joannis Caroli Terlingereni de Gutzman, noſtrorum ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Czarum, Magnum Moſcoviæ Ducem, Ablegatorum plenè confiſi; eoſdem mandatarios noſtros conſtituerimus, prout hiſce animo benè deliberato conſtituimus, ad congrediendum conjunctim vel altero eorum impedito aut non valente uni illorum ſeorſim, cum Serenitatis ſuæ ad hoc deputatis Plenipotentiarijs, Commiſſarijs tractandúmque & ſub ratificatione concluden-

dendum cum ijſdem pro mutua omnium noſtrorum, Regnorúmque & Provinciarum noſtrarum defenſione & ſecuritate, fœdus reciprocum; Dantes & concedentes prænominatis Ablegatis, Mandatarijs Noſtris plenam ad dictum fœdus, arctiorémque inter nos correſpondentiam tractandum & concludendum ex noſtra parte poteſtatem Harum vigore litterarum manu noſtrâ ſubſcriptarum, ac ſigilli noſtri Cæſarei appenſione, munitarum, quæ dabantur Viennæ 27. Martij 1675.

Eundem tenorem Salvi conductûs Originale, quod Domini Ablegati licentiâ penes me, ſonat: Cæſareo utrumque diploma chirographo, ſigillóque munitum, & Imperialis CancellariæOfficialium, quorum id muneris eſt, nomine roboratum.

Caput II.

Diſceſſus Viennâ per Moraviam & Sileſiam.

Diverſis temporibus denominatus itineris dies; diſceſſus tamen mutato ſemper conſilio ad decimum ſeptimum Kalendas Julij dilatus, conductis qui

& nos

& nos,& impedimenta nostra Uratislaviam deducerent aurigis, eo ipso die post meridiem felicem auspicabatur processum. Totus comitatus duos supra viginti complectebatur, quorum nomina & officia sequens tabula demonstrat.

ANNIBAL FRANCISUS de BOTTONI, S. R. I. Eques, & in Archiducali Inferioris Austriæ Regimine Consiliarius &c. *Ablegatus Primarius.*

JOANNES CAROLUS TERLINGERENUS de GUZMAN, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius, *Ablegatus Collega.*

OFFICIALES.

FRANCISCUS SCHLEGELIUS, Bavarus, *Sacellanus.*

CAROLUS VALERIUS WICHARD, Helvetus, *Cancell.*

ADOLPHUS LYSECK, Moguntinus, *Legationis Secretarius.*

PHILIPPUS FRIDERICUS KIRCHMAYER, ab ALTKIRCH Viennensis.

OLYSIUS SANSONI, Tergestinus, *Præfectus.*

ALEXANDER BRANDEL, Austriacus, *Stabuli Magister.*

LAURENTIUS KHINHUBER, Saxo, *Medicus Doctor.*

CAROLUS LEOPOLUS KRAUS, Austriacus, *Cubicularius.*

PEDISSEQUI.

Jonas Kräntzel, Austriacus.

Matthæus Windsechler, Tyrolensis.

Balthasarus Zeisselmayer, Austriacus.

Adamus Mülner, Tyrolensis.

Lucas Juray, à Sancta Cruce.

Maximilianus Hüg, Austriacus.

Philippus Räbel, Austriacus.

Wolffgangus Wegscheider ex superiori Styria, *Coquus.*

Comitem viæ se quoque adjunxerat marito Domino de Bottoni conjux, filia ejusdem secundo genita cum pedissequa. In itinere memoratorum numero adscripti Regio-montij Matthias Popp Grecensis Tonsor; Vilnæ Daniel Lau Borussus Interpres Polonus: Tres ibidem alij stratores Poloni, & duo Tartari sunt assumpti.

Viam nunc ingressi ut tædiosam, sic tædioso calamo eandem describimus: quæ si æque tædiosam Lectori effecerit lectionem, omisso hoc cum sequentibus duobus capi-

te

te ad lætiora & curiosa magis animum advertat, nihil ex tetrica materiæ, stylique methodo relationi secuturæ præjudicando.

Rhedam primariam præter Dominos Ablegatos, Uxor, filia & famula occupabant; secundâ officiales vehebantur, ad illam reliquis alternâ vice inservientibus Pedissequis. *Wolckersdorffium* oppidum Cæsareum prima nocte hospites excepit, ubi sequenti 16. Junij ambo Domini Ablegati sub Sacro Sacellani nostri Sacrosanctæ Eucharistiæ viatico pro felici itineris consummatione corroborabantur, dum intereà conjux filiolum in sui solatium assumptum, ob futuras molestias, quas creaturum ex primæ noctis inquietudine præsagiebat, habito maturiori consilio Viennam reduceret, ad nos rhedæ veredariæ subsidio *Nicolai-burgum* sub vesperam reversa 17. Ejusdem Sacro in Lauretana Divæ Virginis æde apud Patres Capucinos audito, vias tum ob copiosam pluviam lubricas & difficiles, tum ob bene dimensa milliaria Morava tædiosas aggressi ad noctis duodecimam *Rausnitzium* ægrè attigimus. Decimo octavo unicum superantes lapidem

Wischæ post missam, prandium, alijsque duobus emensis *Gralitzij* cœnam sumpsimus. Decimo nono, qui celebrandæ Corporis Christi Octavæ dicatus, dum circa horam nonam antemerdianam *Olmutzium* ingrederemur, solennis cum Venerabili processio per urbem habebatur, sub qua currus nostros deferentes, in medias plateas Austriacâ reverentiâ provoluti Sacramentali benedictione ad unum è quatuor altaribus impertiebamur. Principem Loci Episcopum Domini Ablegati per deputatum Legationis Secretarium salute & officiorum insinuatione venerabantur. Prandio quo vix omni in itinere lautiori celebrato, ante Solis occasum *Sternbergæ* hospitalem Jovem salutavimus.

Vigesimum, & qui hunc consecuti duos, in superandis montium jugis valliúmque declivitatibus subditorum angariâ adjuti in Oppidis *Freidenthal* & *Zuckmantel* divertentes impenderamus, cùm ad *Nissæ* portas Serenissimæ Poloniæ Reginæ viduæ ELEONORÆ, suo stipatæ comitatu Majestatem ad meridiem obviam venerati: Ablegati datâ veniâ currum demissîssimè acceden-

cedentes, commissas ab Augustissima Imperatrice vidua Matre litteras tradebant, ab eâdem ad manus osculum admissi, ac felici itineris apprecatione honorati. Quod diei, reliquum erat ac nocte ibidem consumptâ vigesimo tertio postquam dominicali præcepto rem Sacram peregimus, resumpto itinere *Vratislaviam* vigesimo quarto relictis post nos *Grotgâ* & *Olaviâ* oppidis intrantes, cùm equos, & currus permutare necessum foret vigesimo quinto conquievimus. Eodem die Dominos Ablegatos, post salutem & fortunati adventûs gratulationem à Syndico duobúsque Consulibus factam Magistratus multiplici ac præstantissimo vino (quod convasatum extremis fortè necessitatibus servabatur) in sedecim majoribus cantharis per suos ministros liberalissimè donabat. Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus Comes de Schaffgoths die eodem lauto eos convivio adhibebat.

Conductis tandem alijs Aurigis, & oneratis curribus, cùm nonnulli gravibus de causis viam per Poloniam dissuaderent, instituendam eandem vigesimo sexto ad

solis occasum per ulteriorem Silesiam Gedanum versus continuavimus, licèt illa alijs tutior, alijs tamen ob consumpta, & devastata in confinijs, à milite Sueco victualia videbatur incommodior. Ut igitur *Magnam Gloggoviam* ubi Generalis Cob cum Exercitu, Brandeburgicis conjungendus morbatur, perventum est; ille de adventu nostro certior factus, proprium, quo Dominos Ablegatos avocaret, unà secum de reliquo itinere deliberaturos, currum submisit. In mandatis enim habebat salvo conductu Gedanum usque si postularet necessitas, nobis providere; Minori autem periculo ob Suecorum regressum animadverso, unicas ab Electore Brandeburgico in hanc finem præmissas patentes litteras, quibus Satrapis reliquísque Officialibus committebatur omne nobis deferre subsidium, promovendo itineri necessarium, tradebat. Nec hujus Urbis Consules deerant, qui cum Salutis voto hispanicum vinum per suos deferrent. Altero mane discedentes Generalis Knie ante suas ædes amico salutavit alloquio. Hinc per oppida *Peuten* & *VVartenberg* duodecim absolutis

ſolutis milliaribus *Groſſam* trigeſimo menſis devenimus.

Caput III.

Iter per Marchiam, Pomeraniam, Caſſubiam, & Pruſſiam.

OMnia in his provincijs, Suecico licèt milite inſolenter depopulatis, & humanitatis & amicitiæ argumenta à Brandeburgicis miniſtris, Electoris mandato experiebamur. *Francofurtum* ad Viadrum jam cogitabamus, cùm Groſſenſes prævisô ob vicinas hoſtiles copias periculo, ne earum manus incautè præda futuri incideremus, unanimi ſententia diſſuadebant, iter noſtrum per oppida *Zelencki*, *Landsbergam* ad *Wartam* Fluvium, *Freidenbergam*, & *Calis Neo-ſtetinum* verſus dirigendo: quod ubi à Dominis Ablegatis acceptum, poſt quinque & medium in via diem tranſactum, exercitam Suecorum inſolentiam ſufficienti luſtravimus experimento, quam humiliata nunc eorum arrogantia meritâ nominis luit confuſione liberalius tamen *Mariæ-ſylva*, nobile hoc quondam aſcete-

riūm, nunc autem venatorum habitaculum cœnâ; *Parvi Sabini* verò à nobili quodam Satrapa de Rehberg prandij lautitijs hactenus insuetis refecti, scopum præfixum attigimus.

Confinia autem Polonica non omnimodè declinare poteramus, quin Julij septimo eorum pagos *Fliessenstein* & *Siudenitz* ingrederemur. Aurigarum jam equos continuâ & difficili via fractos, atque subministratâ rarò avenâ famelicos, laboris atrocitas enervârat, sic ut levandis vix pedibus minùs trahendis vehiculis sufficerent; alios igitur octo à Polonis ad tria milliaria tredecim imperialibus conductos necessitas jussit substituere, quorum operâ fines Cassubiæ propemodum transiveramus, in pago *Stauschutz* diversuri, nisi propinquæ Suecorum cohortes tutò ibidem pernoctare inhibuissent. Nunquam hostibus vicinior, nunquam interceptionis periculo exposita magis Ablegatio Cæsarea; Consilio itaque ex arena sumpto Domini Ablegati, habitum mutant, litteras, & instructionem proprijs peris custodiunt, equis ad fugam expeditis insident, me, & Carolo Wichar-

do

do sui loco in rheda substitutis. Intempestæ noctis silentio, incolis hæc non somniantibus, motum, & per montana obscurissimásque sylvas, timore alas addente sic properatum, ut priusquam solis jubar affulgeret, quatuor germanica milliaria confecta numeraverimus. In pago *Perko* ad prandium respiratum, ac post meridiem nono Julij Gedanum perventum est.

In diversorio *Olivæ* (Monachorum alij dicunt) jam metu liberi, ac præsentissimo periculo ereptis invicem gratulantes, per duos dies hærebamus, aquæ nos commissuri; Magistratui interim præsentia nostra insinuatur, ille per Ablegatos suos cum fortunati itineris voto Dominos Ablegatos salutat officiosè, & multiplex diversis in vasis vinum transmittit liberaliter.

Undecimo navem hinc ingrediebantur omnes, si me & famulum exceperis; qui cùm ratis equos commodè non caperet, alijs secundo jam vento navigantibus ad littus maris Baltici equites in Vogelsang progressi, *Haffiam* trajecimus, & per Oppida *Dolckomüden*, *Frauenberg*, *Braunsperg* jam relicta *Regiomontij* comites priori die

adveniſſe decimo quarto deprehendimus. Verùm cùm iratum mare voluminoſos procellarum fluctus in *Haffiæ* ſinum exonerando trajectum ejuſdem reddidiſſet tempeſtuoſum, Dominus de Bottoni cum conjuge ac aliquot famulis littus repetijt, tutior conductis ruſticorum curribus, *Regiomontium* incognitò ingreſſurus.

Ad decimum ſeptimum hic commorati Menſis diem, milite præ foribus excubante, nullis ſumptuum expenſis, quas Electoralis Camera liberè, & lautè in ſe omnes recepit. Conſilio tandem à Principe de Croy Brandeburgici Electoris Locum-tenente, qui litteris viam per *Livoniam* diſſuadebat, accepto, eandem per *Samogitiam*, & *Lithvaniam* reſumptis curribus ac equis promovimus, poſt ſuperata quinque dierum ſpatio triginta milliaria, fluvióſque *Schupp* & *Memmel* trajectos Pruſſiæ confinibus vigeſimo primo Julij exeuntes.



CAPUT

CAPUT IV.

Iter per Lithvaniam usque ad Moscoviæ confinia.

ALius jam hominum genius, patria incultior, nobiles Poloni: Horum aliqui Sacræ Sæsareæ Majestatis Salvi conductûs litteras, summa cum reverentia exosculantes, mirùm suspiciebant, alij verò nullâ earundem ratione habitâ transitum Rege Poloniæ inscio disputabant, moram properantibus nobis inijcientes. Palæstinam hic invenimus, soli enim hospitio nos suscipiebant Judæi, omnes germanicam edocti linguam; in quorum tugurijs divertentes, inter medias sylvas latere, quàm in oppidis continuis explorantium quæstionibus inquietari maluimus.

Vigesimum secundum, tertium, quartum, & quintum continua peregrinatione per oppida *Weluna*, *Schretnisz*, *VVilkin*, *Caun*, *Krumbschutzka*, *Wevia* consumpsimus, antequam *Vilnam* Lithvaniæ Metropolim, & sollicitudine, & victualium penuriâ fatigati attingeremus.

Meliora sperabamus ibidem nobis contor-

fortandis remedia; sed Domini Ablegati incognitò urbem ingressuri, ne majori comitatu stipati proderentur, unà cum uxore, filia, famulâque, assumptis Præfecto, Cubiculario alijsque duobus pedissequis, in constituto jam *Vilnæ* hospitio remanserunt. Nos cæteros viarum ignaros ad proximum quódq; diversorium cum impedimentis dimittentes. Jam patientia nostra cum sole ad occasum properabat, & duo milliaria restabant emetienda, quæ tenebris viam surripientibus absolvebamus. Villæ *Populan* nomē erat, duo rusticorum tuguriola complexæ: locus divertendi nullus, aqua leucæ spatio advehebatur, panis nisi qui de cælo caderet in hoc deserto nullus, cubilia nostra haræ aranearum aulæis vestitæ, subsellia ministrabat linter, atrium fimi peristromatibus contectum, pallatium totum porcorum & vaccarum ambram spirabat, pocula nobis eadem quæ bestijs, nobiliorem tamen liquorem propinabant: vinum enim Tokayanum de facto corda nostra lætificabat, animósque instrumentalis musica à mœrore excitabat. Mactatum quidquid avidæ capiebant manus, non servata anseri

feri capitolia, non gallo & gallinæ reclamantes villici patrocinabantur, quin fecandum cogerentur jugulum cultro submittere, & ruricolæ dato liberali ære cogerentur ditescere.

Nec intereà nostri omnimodè immemores Domini Ablegati, qui cerevisiam, panem, carnémque submittebant; quæ cum serò nimis post ultimum affati jam galli cantum, ob fractum in sylvis vehiculum advenissent, alijs diebus inserviebant, sex enim in hac solitudine stativa habuimus, usque ad Julij trigesimum: Advenientibus verò pridie Dominis Ablegatis, quos decem Tartarorum currus impedimentis onerandi subsequebantur, iter promovimus. Novæ Kalendæ mensem novum parturiebant, cùm nescio quo morbo ceperat graviter laborare Domini de Bottoni privigna, quam ne medicorum ope in ulteriori via destitueret malo crescente, *Vilnam* reducunt Legatione in binas partes divisâ; remittente tamen morbo tertio post die in hospitio *Mesotha* dicto conveniebamus. Quarto Augusti Superatis *Smorgonia*, *Marckova*, *Leunschu*, *Melotezna*, *Crasna*, *Radiske*-

disckovvitz, *Numskina*, Oppidis ante meridiem Civitatem *Minskij* ſumus ingreſſi.

Quieſcebamus hic ad alterum mane, quo diviſione Legationis factâ pars cum Impedimentis ulterius movebat, pars cum Dominis Ablegatis apud ægrotam filiam remanebat.

Confeceramus illo die ſeptem milliaria in oppido *Smovitschi* pernoctantes, ubi quidam ex Regis Polonici exercitu equitum Magiſter, Colonellum Moſcum cum comitatu ſuo Smolensko petentem detinuerat, patentes proprij Regis non æſtimando; à nobilitate ſcriptas deſiderans, quas ni afferret diſcedens, omnium bonorum deprædationem minabatur, Nobiſque incaſſum obteſtantibus & ad Legatum referentibus diſceſſum negabat. Botulis tandem fumigatis os ejus in libertatis verba apertum expugnavimus, ac dein felici progredientes itinere, nullo detenti obſtaculo intra quinque dierum ſpatium per oppidum *Walislauf*, *Natza*, *Grupga*, *VVoben*, *Majauca*, *Odritz*, *Staraſicla* poſt emenſa 49. milliaria, *Sclovva* ad Boryſthenem advenimus, ubi Domini Ablegati decimo

Menſis

Mensis nos insecuti sunt. Quibuscum *Haradiska*, *Horcki*, *Hart*, & *Cadin* peragratis Lithvaniæ valediximus Moscoviæ salutantes confinia.

Caput V.

Susceptio in Confinijs Moscoviticis die 16. Augusti.

INnumeris viæ molestijs, & difficultatibus tandem duodecimo Augusti, post novem septimanas in itinere consumptas, confinia territorij Moscovitici, nullâ, ob continuas Polonorum explorationes, & insidias, præmissâ insinuatione intrare coacti, in primo Magni Ducatûs Smolensciensis vico, nomine *Rischano*, divertimus. Unde Laurentium Rinhuberum Legationis Medicum, aliquam hujus patriæ & Linguæ notitiam habentem Smolensciam dimisimus, tum ut ejus Loci *VVeivvodæ* adventum nostrum denuntiaret, cùm etiam susceptionis urgeret maturationem. Redijt is quarto post discessum die, referens: Nos insequenti à *Pristafo* seu Commissario *Bogdam Andreovvitz Gulnoff*, missis unà

cum

cum illo regni cancellario, & interprete Latino pro more suscipiendos, & ad desideratum locum suppeditatis, quæ impedimentis nostris sufficerent, vehiculis deducendos. Altero ij vix orto sole adsunt equites, suis stipati ministris, præsentiam nostram, & alloquium flagitantes, neque adhuc tugurio egressos nos conspexêre, cum subitò ex equis desiliunt, obviam procedunt, & humanissimâ capitis inclinatione iterum iterúmque salutant, reciprocè à nobis salutati.

Hinc Commissarius cum protestatione ordiri sermonem ob loci indecentiam, ad *Magni Czari* titulum proferendum, à Quo se missos ajebat, ut Ablegatis à Romanorum Imperatore LEOPOLDO (simili ratione tituli factâ protestatione) de felici adventu gratularentur, & dudum præoptatos hospites *Moscuam* deducerent, ibidem de gravioribus Commissionis, cum ad id muneris deputandis, acturos. Tugurium dein subeuntes in Sanitatem Augustissimi Cæsaris LEOPOLDI, nec non Augustissimæ Conjugis CLAUDIÆ FELICITATIS indagârunt; varióque de novellis sermone collato ad pran-

prandium invitati illud nobiscum sub tentorio nostro, repetitis Sacræ Cæsareæ Majestatis, Magnique Ducis per pocula prosperitatibus celebrârunt. Remotis dapibus Omnium nomina & officia scripta per interpretem sibi dari postulârunt, ut ex ijsdem præmissis, quoquo nos venturi, intelligerent pro numero personarum victûs necessaria procurare; cui petitioni mox satisfactum ac per Secretarium ad eorundem hospitium singulorum cum officijs nomina delata.

Sequenti mane decimo septimo scilicet Augusti, unà cum triginta impedimentorum curribus; varijs strelizis (sic pedites appellant) pro majori securitate, & custodia adjunctis, inde movimus, superatóque Octavo Lapide in medijs sylvis pernoctavimus. Ubi ut & nos, & equos à periculosa ursorum infestatione salvaremus; frequenti bombardarum explosione, multiplicique ignium excitatione idipsum impedire laboravimus: Usque dum die adventante iter denuò ingressi, tam celeri rotâ, ut paucis post horis *Smolenscia* propinqui non nisi unicum milliare Germa-

nicum restaret emetiendum, ubi commorantes, *Pristasum* pro impetranda intromissionis licentia præmisimus.

Caput VI.

Ingressus in Civitatem Smolensko 18. *Augusti*.

Urbem hanc non ingentem minùs quàm insignem, ceu, inexpugnabile patriæ totius antemurale, & potentissimum Borysthenis *Nieper* frænum, Mosci præ cæteris habent maximi, néque ab ultimo quo eadem, Polonis incubatoribus exactis postliminio in *Czari* fidem reversa est, tempore, ulli exterorum Principum Ministro vel Legato introitum transitúmve concesserunt; hoc uno ex capite, ne fortalitij observata constitutio futuro hosti manifestetur. Hinc fit ut Magnus Dux huic loco præcipuo, & primario gubernatore (qui tum consanguineus Czari erat) & multo præsidiario milite soleat providere, capitis adjunctâ sententiâ ne peregrinorum ulli Gubernator sui aditum permittat; intellecto tamen nos continuâ, & lon-

& longinquâ peregrinatione totos defatigatos ibidem quietem, & aliquot dierum respirationem anhelare, ut animum, & fidem in Romanorum Imperatorem ostenderent, non tantùm petito nostro fecerunt satis, sed inusitatâ insuper pompâ, & solennitate in ipsam urbem introducere decreverunt. Verùm ut ad id eo melius se se pararent, unico milliari à civitate tentoria nostra figere, ac aliquot horis cum summo tædio, & cibi potúsque desiderio inter sylvas hærere oportuit, usque dum Commissarius obtentâ intromissionis licentiâ cum suis à *Weivvoda* redux favore singulari, nec ante hac peregrinorum ulli exhibito permissum toti Legationi Cæsareæ introitum renuntiaret.

Conscensis itáque curribus intra mediam horam in magnæ urbis, quæ sylvarum, ac collium munita ambitu, oculos nostros hactenus effugerat, conspectum venimus, atque patenti in campo, innumerabilem fermè strelizorum, & curiosorum hominum multitudinem unà nostri videndi cupiditate obviam procedentem offendimus, quæ nullo servato ordine ambiebat

omnes, & consternatorum instar germanum hominem mirabatur. Tandem equestris cohors cum duce suo nos exceptum venit, ita ut præeuntibus equitibus, latus vero *Strelizis* stipantibus, equitante à sinistris Commissario, Regni Cancellario, & Interprete, à dexteris verò primarijs officialibus nostris comitantibus, currus Dominorum Ablegatorum medius ipsam Urbem attingeret, copioso ad portas milite, arma martiali obsequio præsentante, in plateis verò magno indigenarum confluxu adspectante, qui sese ad Arcem usque novam quam petebamus extenderat: alia etenim vetus in ulteriori *Borysthenis* ripa extructa, ædificia gremio complectitur tam numerosa, ut civitatis formam æmuletur, quam alluens ex uno latere fluvius, ex altero acuti stipites, in medio autem exurgens scopulus, cui templum impositum Divæ Virgini consecratum, reddunt formidabilem. Illam nos dum ingrederemur nomine *Weiwvoda* quidam ex belliducibus aggratulatus est, sanitate prius nostrâ pro more gentis intellectâ. Invenimus hic quidem jam ordinata omnia, cuique suam cibi potúsque

que aſſignatam portionem, ſed non paratam, quam jejunus diu ſtomachus repetito murmure avidiſſimè anhelavit. Triduum ibi quieti, inter maximas cum *Weivvoda* contentiones conſumpſimus, qui nec ſufficientem, & neceſſariam pro reliquo itinere peragendo huic Legationi pecuniam miniſtrare voluit, nec requiſita victualia ſuppeditare potuit. Concluſio deníque una fuit; ut de proprio provideremus, copioſâ à *Czaro* refuſione reſtituendo: quod ubi acceptum eſt, Moſcuam quarto poſt die, numeroſo milite ſtipati movimus.

CAPUT VII.

Iter inter Smolenſciam & Moſcuam.

ITer, quod *Moſcuam* inter & *Smolenſciam* reliquum, uti à deprædatione urſorum periculoſum, ita ob continuam ſylvarum extenſionem maximè tædioſum erat, nec aliud niſi hoc unum, amputatis in latitudinem triginta circiter paſſuum dumetis pervium, multóque ex arborum ſublicis ad unum, & duo milliaria ſuper palu-

des ponte ſtratum, itinerantibus patet; nec niſi tria oppida ſunt intermedia, quorum eſt Drogobuſa *Drogobusch* primum ad *Boryſthenis* ripam ſitum, & arce in montis faſtigio totâ lineâ, quam vallus coronet ligneus, munitum; diſtat hoc ſeptuaginta duobus Moſcuâ milliaribus, polonicis Octodecim autem *Smolensko*, ubi alijs equis, & curribus ſubminiſtratis, tertio poſt die Weſmæ *Wetzma* ad *Hugram* (amnis is eſt non procul *Drogobusa* in ſylvis ortus, Ducatum Smolenscienſem & Albam Ruſſiam dividens) circa prandium appulimus; Unde mutatis vehiculis milite præſidiario ad utramque arcis portam, in longum ordinem diſpoſito, elatis paratiſque armis, inter tympanorum ſtrepitum diſcedentibus inſerviente, poſt ſuperata diem intra & medium ſex ſupra viginti milliaria oppidum *Mozaysko* attigimus: nec indè ſolvimus, priúſquam Commiſſarius, ad miſſas *Moſcuam* per curſorem litteras reſponſum & mandatum de inſtituendo itinere recepiſſet; ne quicquam nobis ejuſdem urgentibus maturationem, & id reſponſi unicum, obtinentibus: nolle *Czarum* exterorum Prin-

cipum

Ablegatos, suas terras Cursorum instar peragrare.

Reverso tandem tertio post die nuntio renovatis equis ac curribus residua ad terminum octodecim milliaria aggressi sumus, de necessaria priùs annona providentes; In his tribus enim memoratis oppidis omnis cibus potúsque pro toto itinere coemendus; cum in aliis rusticorum villis, ubi inter densissimas sylvas, tres quatuórve casæ, à populo sylvestri nihil pro auro, & argento sit obtinendum, præter cepas & allium, quorum fumo magalia eorum adeò opple-ta, ut lacrymabundi germani oculi, & nares hujus fœtoris impatientes, ad ingressum reformidârint: ac id multis difficile accidit in eodem hypocausto pernoctare; quod parentes cum liberis, jumentis, ac bestiis idem fœtidum inhabitabant, nullo sejuncti ab invicem obstaculo, nisi quòd homines in alto super fornace, & pendulis asseribus, domini & famuli, heræ & ancillæ, ac liberi inter se confusi, nullo lectorum usu adhibito cubent, rectiùs stabulentur; uti quatuor conjugum paria simili in thalamo promiscua dinumeravimus; Oves ve-

rò & porci terram incolant, omnes uno eodémque foco & hyeme, & æstate calefaciente.

Caput VIII.

Ingressus in Urbem Moscuam 4. Septembris.

Tertius Gregoriano nobis stylo Septembris erat, Russi Julianum veterem observant, dum in vico *Viesenka* sex milliaribus Moscuâ dissito, mentem Czareæ Majestatis de ingressu nostro præstolantes hæreremus, circa horam secundam pomeridianam *Strelizus* eques ad Pristavum Smolensciæ nobis adjunctum ex urbe missus advenit unà cum litteris, quibus ipsi tria eodem die milliaria nobiscum conficienda, residuum itineris verò in subsequens mane transferendum committebatur. Et vix spatio unius leucæ, quam *VVerstam* vernaculè appellant, superato, cursorem alium habuimus obvium Commissario annuntiantem, majori quàm aliàs celeritate procedendum. Nec hunc discedentem vidimus, & alij duo, de prætoreana *Czari* custo-

custodia equites subsecuti oretenus referentes, *Moscua* ad nos excipiendos in procinctu stare omnia, id unicum deesse ut dudum præoptatos hospites, modò præsentes in ipsam urbem pro dignitate possent introducere.

Cursu quàm potuêre interim celerrimo nostræ arserunt rotæ, ac duobus à priori loco superatis milliaribus Germanicis, quorum unum quatuor *Werstis*, polonicum verò quinque componitur, adsunt de nobili Russorum sanguine Aulici duo, roseo vestiti serico aureis limbis intexto, indicantes; unicam Czareæ Majestatis voluntatem esse, ut Domini Ablegati Cæsarei eodem adhuc vespere Moscuæ susciperentur, totam prætereà urbem adventum nostrum desiderare, quod dum à Pristavo Dominis Ablegatis indicaretur, impossibilitate ob magnam urbis & distantiam, & ingruentes noctis tenebras prævisâ, id responsi dabant: non posse sibi persuadere abs Czarea Majestate quidquam impossibile injunctum iri; néque tantâ Russos aviditate, quantâ nos ipsos, adventum & præsentiam nostram fla-

C 5 gita-

gitare, sed tantum iter inhibere, ac quo minus id fieri possit, feram noctem ponere obstaculum; Accepto responso incitatis illi equis viam suam relegere; nos autem uno etiamnum relicto Lapide, nequicquàm Russis ad noctem usque concubiam adventui nostro præstolantibus in vico *Namonavo* pernoctare.

Altero die, qui quartus hoc mense affulserat, sub horam nonam antemeridianàm, Dominus residens Danus *Magnus Goe*, cum Domino *Menesio* in officijs Czareæ Majestatis belliduce nos præsalutatum venit, quibus Pristafus prius de Czarea conveniendi licentia inquirens, aditum concessit liberrimum, varióque sermone collato, in summo nos dubio, de intromissione illo die in Urbem Moscuam relinquentes, post duas horas sunt regressi.

Non multo post Czareus adest cursor qui jubet ad iter nos accingere: nec mora, celeri magis, quàm alias unquam vecti rotâ nonnullos nobiles, arcu & sagittis armatos, secúmque canes venaticos, britonésque ducentes obvios habuimus: comitabantur hi aliquamdiu currus nostros; sed vena-

tionem

tionem exinde ſimulantes, inter dumeta ubi & Czaream Majeſtatem ex inſidijs latitâſſe, nos per tubum opticum contemplantem, ajebant, ad unum omnes remanſerunt.

Interim ad ripam fluvij *Moski*, qui urbi & patriæ nomen indit, ventum erat, quo trajecto magnum plebis confluxum ex colle, ad frequentia quêis Æolus imperet molendina conſpeximus: ac dum rheda Dominorum Ablegatorum ad littus eſſet expoſita, extemplo adeſt Commiſſarius à *Priſtafo* retro collem expectante miſſus, qui & Principalis ſui nomine Dominos Oratores ſalutatos de eorundem incolumitate ac ſalute interrogaret, & mox ſuſcipiendos inſinuaret.

Collem ex toto necdum conſcenderamus, & ecce inſtructæ lanceis, paratíſque bombardis, novem unà cum ſignis ſuis (unum præter cætera Magni Ducis inſigne, imperatoriâ conceſſum benevolentiâ, Aquilam nimirum bicipitem, non elevatis tamen, ſed demiſſis expanſis alis referebat) tympanis item & tubis equitum cohortes; ſtabant ex hac parte glomerati inter ſe gre-

garij

garij, certo vestium ornatu distincti, & vir viro ordine longissimo adhærebat: ex adversa alarum vice explicabantur voluntarij nobiles, vestibus admodùm pretiosis, auro argento & unione gravibus conspicui, generosissimis insidentes caballis, quos non aurum modò frænabat & argentum, sed tegebat etiam peristromatis nobilissimis speciosè phaleratos. In medio regia rheda rubro obducta holoserico varijs elaboratis & inauratis figuris exornata, atque decem nivei de sella Czarea consistebant sonipedes, quibus primarij Legationis officiales forent imperaturi. Aderant itidem duo *Pristasi* belliduces, qui dum ex equis desiliunt, Dominos Ablegatos ad exscensum è curru sollicitatos, detecto prius capite titulum Czareæ Majestatis recitantes salutârunt; dein de felici itineris successu sciscitati, ac demum Czaream Majestatem ad affectum suum indicandum rhedam suo usui propriam pro solenni Dominorum Ablegatorum introductione ajebant misisse. Respondit omnibus appositè Dominus de Bottoni Ablegatus primarius, cujus sermone finito *Pristasi* porrexêre dexteras, ac in

Czareum

Czareum currum, primarium offerentes locum, ipsi vero ex adverso considentes introduxerunt.

Clangebant interim ex utrâque parte tubæ, volitabant signa equestria, personabant tympana, atque in novem distincti cohortes equites, sua signa præferentes membratim procedebant; post quos rheda Czarea sex equis regio ornatu stratis vehebatur. Equitabant ex utroque latere primarij officiales nostri, stipabant currum pedissequi, & *Strelizi* innumera populi frequentiâ subsequente: Inde sesqui milliaribus germanicis per urbem Moscuam confectis in magnam Legatorum domum, varijs tapetibus intrinsecus vestitam, per totam equitum coronam introducti sumus.

CAPUT IX.

Novus Ruthenorum Annus 11. Septembris.

HÆrebamus sex continuis diebus inter parietes, milite præ foribus excubante, donec undecima mensis Septembris illuxisset, Ruthenis hæc renascen-

nascentis anni auspicatur principia, qui æstate & anno pariter exeuntes, annum cum autumno exordiuntur: nec vanè, cum Rabbinis enim & Patrum compluribus, eo tempore locupletatam maturis jam frugibus terram indubitatò tenent à Deo procreatam; ideóque anni & orbis circulum eodem à puncto describentes ex eo annorum texunt incunabula, à quo nata temporum credunt primordia. Circa horam ejus diei nonam matutinam; Russis horologio planetario, Judaicas horas numerantibus tertia erat, abs *Czaro* missus Pristafus adest *Jacobus Gergevich* cum socio *Diako* & interprete, regióque curru, nec non sufficientibus equis toti familiæ inservituris, ut ad destinatum Solennitatis Locum deducerent.

Conscensâ Rhedâ Domini Oratores Cæsarei, prima in eadem occupârunt loca inferiora tenentibus Pristafis cum interprete: Hos ex ijs, qui Czarum exeuntem comitari solent, triginta satellitum turma præcedebat, viámque in confusa populi multitudine, quæ se festo illo die in plateas effuderat, parare satagebat, quam decem ex nostris

noſtris Pediſſequis veſtes ex panno cæruleo varijs coloribus non parcè fimbriatas induti, ſuóſque accincti gladios ſequebantur. Poſt illos octo nobiliores Officiales noſtri in totidem ſuperbè phaleratis equis, claudente illorum ordinem Czareo ſtabuli vicepræfecto, procedebant. Ultimò ipſe currus, utrumque latus Magni Ducis ſecuriferis ſtipantibus, ac detecto ſemper capite comitantibus,

Quo ordine ad aulam deducti, in magna illa area quæ Czari inter palatium & ſummum Sanctiſſimæ Trinitatis templum *Troges*, media eſt, ingentem peditum ſive Strelizorum numerum, varijs ad notandas cohortes ex panno coloribus diſtinctum, & ſub ſua quémque ſigna in phalanges & manipulos diſtributum reperimus, quos inter patefacto aditu Domini Ablegati, non priùs ex curru deſcendere, quàm ad porticum quandam in magna illa area ſitam perveniſſent. Erat hæc plena populo, ſed ad noſtrum adventum majori ejus parte retrocedere, & locum dare juſſa, ad extimam illius Anguli partem, quæ *Czari* ædes, & templum ſimul reſpicit, penetra-

vimus.

vimus. Ubi tanquam in digniore loco commodiorem ſtationem præparatam invenimus, Reſidente Danico & Polonico à ſiniſtris loca ſua occupantibus.

Totum illud ſolum quod ad lævam eſt, & Palatium Magni Ducis à diametro aſpicit, elaboratis arte perſicâ tapetibus veſtiebatur: In ejus umbilico aſſurgebant duo in throni ſpeciem elevatiora tabulata, quorum dexterum pro *Czaro* prædivite ex auro periſtromate coopertum aſcenſum per quatuor gradus præbebat nullo in eo poſito ſubſellio: in altero ad ſiniſtram Patriarchæ, quem Archi-popam dicunt, deſtinato, erat quidem ſedes, ſed videbatur aliquanto demiſſius, trium nempe tantùm graduum & bombyceis perſici operis tapetibus contectum.

Dato per multarum campanarum pulſum ſigno, à templo, quod ad lævam Palatij eſt, procedit cum Clero ſuo, Epiſcopis, & Metrapolitis poſtremus inter duos Diaconos Patriarcha, prædivite ex auro, margaritis, gemiſque intermixto paludamento juxta formam pluvialis, & pallio Archi-epiſcopali contectus; Tiara, quam

capite

capite gestabat, ex auro erat ad formam regiæ coronæ cum diademate & cruce: Cæterorum Archi-episcoporum, Episcoporúmque eadem ferè habitûs forma, præterquam quòd eorum tiaras, diadematis crucísque expertes margo de pelle Scytales, est is mus ponticus quem barbarè *Hermelinum* vocamus, ambierat.

Patriarcha ad aream appropinquante in eandem per adornatum ad levam descensum Dux ipse Bojaris suis, & Magnatibus prodibat circumcinctus; cúmque ad throni gradus hic substitisset, Patriarcha, qui gressum ejus suo metiri lentè, & quasi ad numerum mensurámque procedere observabatur, illi propinquior factus cruce aureâ, varijs distinctâ gemmis, quam manu gestabat, elevatâ, operientem, & caput inclinantem ter signat: Inde propius accedens uno alteróve passu obvium, mutua capitis inclinatione salutat. *Czarus* oblatam crucem ternis osculis suaviatur; deosculatâ postremum Patriarchæ manu, qui vicissim porrectam *Czari* osculatus, post mutuos amplexus loco discedit, hic ad sinistram ille ad dexteram, ubi conscensis solijs, Czarus

rus in ſuo ſtans, facie ad Patriarcham in ſuo pariter ſtantem, versâ, ab illo ternam benedictionem utrâque manu liberaliter ſibi impertitam capite reverenter inclinato accipit: prolatum poſteà à Camerario quodam Ducalem pileum, imperiali coronæ perſimilem, baculúmque qui oblongus cuſpide armatur inferius creſcentis ſuperius Lunæ cornua imitatur pari benedictionum numero Patriarcha ſignat; inde ad Epiſcopos utrumque areæ latus tenentes manibus converſis, eoſdem duplici benedictione, reliquum verò Clerum, Bojaros itidem, & populum ſimplici quidem, ſed multâ dignatur, omnibus ad eam excipiendam ſolùm capitibus ſuis attingentibus.

Accepto dein thuribulo, poſtquam cruci ipſi, in aurea pelvi collocatæ incenſum cremâſſet, ad Magni Ducis ſolium acceſſit, relictis in medio duobus, qui comitabantur, Diaconis; à ſolio ſuo deſcendenti, & in ſolo collocato Duci propinquior factus, thuribulo ternis illi vicibus incenſum ter adolevit, non intermiſsâ corporis poſt unamquamque vicem inclinatione, cui officiosè

ficiosè etiam Czarus respondit: eandem ceremoniam ostenso post solium ducali pileo, baculóque exhibuit.

Separati ab invicem, uterque denuo ad solium reversus: Patriarcha in suo stans, eodem thuribulo incensum accepit, à Diacono quodam, qui ejus etiam pedum, seu baculum tergeminæ Romani Pontificis cruci non dissimilem fumo adolevit, inde recepto iterum thuribulo, ipsemet Archiepiscopos, Episcopos, reliquúmque Clerum, Aulam totam, populúmque odore putatitiæ suavitatis implevit, versâ mox ad unam, mox ad alteram partem facie, Diacono interim uno, altâ voce Lectiones librorum Genesis, de Mundi creatione legente, idiomate Sclavo: personabat chorus incondito Rutheno clamore, à musicis accentibus planè remoto, suum *Gospodi pomilui*, quod est Domine miserere, identidem repetito ingeminans.

Fumare cessabant, quæ populi incensatione æstuarent, thuribula cum Patriarcha de solio descendere, & sacræ Scripturæ, aureâ gemmatâque theca inclusæ, cujus pretium centum millium aureorum summam

excedere audacter affirmant, atque imaginibus quas Rutheni prope idololatrantur, ordinatim circa frontem areæ, quæ è regione noſtræ porticûs erat, diſpoſitis, eundem honorem exhibere, ac ſpongiâ leviter ab ijs pulverem abſtergere, eaſdem aquâ conſpergere, & denuo in adornatum ſibi locum reverti, poſtquam tranſeundo ante Czari thronum; terna eum corporis inclinatione ab eodem reſalutatus, ſalutâſſet.

Sederunt ambo, Patriarcha in ſua ſede, Czarus item in alia à ſuis in hunc finem allata, & ſolio impoſita, donec reliquæ ceremoniæ circa imagines à Clero peragerentur. Illis abſolutis ſurrexerunt ſimul, & Diaconus quidam, acceptâ à Patriarcha benedictione, librum Evangeliorum, multo auro ornatum poſtquàm religioſo incenſo fumigâſſet, aperuit, & Evangelium quoddam, Sclavo pariter idiomate compoſitum, alto vocis ſono pronunciavit, clauſum poſteà obtulit Patriarchæ, qui de ſolio ſuo deſcendens, Czaro eum in finem jam ſolum prementi, oſculandum præbuit; reverſúſque in locum ſuum Czaro in ſolio quoque denuò ſtanti plenis manibus geminavit

vit benedictiones, idémque Episcopis, Clero, & omnibus adstantibus præstitit. Inde depositâ tiarâ suâ, manu utrâque prehendens crucem, illâ Czaro, omníque populo benedixit.

Impositâ demum vertici tiarâ descendit ex solio, & Czarum ad pedes throni sui expectantem è charta salutavit oratione satis prolixâ, ei precatus felix novi anni auspicium; Ille seni gratias retulit breviore usus sermone, quo finito lustrali aquâ, abundanter aspersus, ita ut ambabus manibus, faciem, oculos, barbámque pro more gentis, summa cum devotione ablueret. Conscensis solijs venerunt Metropolitæ, Episcopi, Abbates, bini & bini, qui inclinatis ante Czarum capite corporéque novi anni initium ipsi primum, dein verò eâdem ceremonia Patriarchæ apprecati sunt, ab hoc vicissim benedictione, ab illo modicâ verticis inclinatione resalutati.

Post digniorem Clerum Bojari & Magnates Principem suum in solio detecto semper capite stantem demissis ad terram usque verticibus venerati sunt, loquente pro omnibus *Bojaro Knesio Adowwirtzko.* Ex alia

parte Episcopus nomine aliorum & totius Cleri Patriarchæ uno eodémque tempore, novum annum gratulatus est.

Peractâ utrinque oratione omnes belli duces, qui ad lævam erant, cum omnibus copijs; quæ in numerosas phalanges dispositæ forum totum implebant, populus item omnis in nictu oculi, capitibus suis terram percusserunt, acceptante apprecationes *Czaro* nutu capitis vultúsque. Erat sanè hoc ut obsequiosum, sic ad commovendos animos efficax spectaculum. Patriarcha, iterum depositâ tiarâ, quod statim Episcopi & Metropilitæ imitati, descendit de solio, & acceptam de pelvi crucem; postquam *Czarum* ter illâ signâsset, eidem osculandam præbuit; ille deosculatâ demum Patriarchæ manu vicissim dexteram suam osculandam dedit, & iteratis mutuis amplexibus, ab invicem discesserunt.

Czarus, qui durante hac ceremoniâ Dominos Ablegatos directè ante oculos habuerat, inter ambulandum locum versus, ante porticum nostram situm, in quo erant positæ imagines, misit ad eosdem *Domnidiakum*, seu magnum regni Cancellarium, qui nomine

nomine ſuo interrogaret, Auguſti LEOPOLDI dilectiſſimi fratris ſui Ablegatos, num proſperè etiamnum valerent? Quod cùm ab ijſdem debitâ gratiarum actione peractâ, affirmari cognoviſſet, protinus ad Magnum Ducem, jam Palatij gradus aſcendentem reverſus eſt, relaturus ea quæ perceperat.

Finitis omnibus eodem quo exiveramus ordine domum regreſſi; ubi novam iterum Czari gratiam experti: hæc enim inter alias conſuetudo ab aula Moſcovitica ſancta, & illæſa conſervatur, ut quotieſcunque exterorum Principum Ablegatis publica in ſolennitate Czareæ Majeſtatis claros, ut ajunt, oculos intueri conceſſum fuerit, eoſdem copiosâ ciborum de propria menſa liberalitate ſoleat beare; ſic eodem nos die quo primùm ſuo aſpectu, ducali quóque tractatione dignatus eſt: in triginta enim argenteis majoribus patinis, per totidem bajulos, varias huic nationi imprimis charas cupedias, allio & cepis non parcè conditas, addito inſuper in duodecim cantharis potu, mulſo nimirum, cremato & cereviſia transmiſit, quibus potius Germa-

norum oculi, quàm ſtomachus, his condimentis non aſſuetus cogebantur ſatiari.

Caput X.

Prima à Czaro Audientia in Arce Kolumski *die* 12. Septembris.

Secundus novi anni dies (nobis duodecimus Septembris) primæ abs Czaro audientiæ exhibendæ determinatus erat: qui ut curioſum Conjugis paſceret genium, huic actioni publicæ, occultatâ præſentiâ intereſſe deſiderantem, cùm in conſueto audientiarum loco, eidem non poſſet ſatisfacere, voluit rem in arce *Kolumski* Moſcuâ germano milliari diſſitâ, inſtitui; promiſſione prius factâ nullam inconvenientiam ex hoc capite ſecuturis inferendam. Adfuêre igitur prandio domi ſumpto, ſupra memorati Commiſſarij & interpres cum regia rheda, adductis ſuperfluis ex Czareo ſtabulo equis, uti divite ſic ad pompam magnifico ornamento phaleratis, nobis per totum iter obſequioſa tergora præbituris, & perceptâ Dominorum Ablega-

legatorum incolumitate, eosdem ad dictam arcem (quo exiverat de mane Czarus) cum suis evocarent.

Equestris de prætoriana custodia præibat cohors, coccineo habitu luxurians; postquam dona Cæsarea thecis suis involuta per mediam urbem, à ministris Magni Ducis ordinata serie ferebantur: Hæc decem Pedissequi nostri tesserarijs vestibus distincti ac octo nobiliores bini & bini equites sequebantur, Czareo stabuli vice-præfecto intermedio: Ipse demum currus, quo Domini Ablegati cum *Pristasis* vecti ab electis sex equis tigridum instar maculatis, trahebatur; ex latere quodam officiali nostro litteras Cæsareas ad Magnum Ducem præferente, magnâque securiferorum turma subsequente: qui ordo per totum iter immutatus servabatur, & quo Czarissæ de longè nos adventantes contemplanti plenius satisfieret; à misso obviam equite, à via devij per medios agros, & patentem campum circumducti, ut oculos progressu nostro pasceret diutius oblectatos.

Duo in convalle ad respirandum figebantur tentoria, quæ subeuntes, quiescebamus

tamdiu, ufque dum apertis donorum involucris, & mutatis currûs fejugibus, qui auguftiori tegumento ornati, catenulas infuper in calceamentorum extremitatibus, cymbalis intermedijs ad paffuum menfuram numerofo concentu tinnientibus, affixas gerebant, arcis faftigium confcenderemus, cujus ampla fatis duo veftibula millium aliquot virorum armatus exercitus, fignis fuis, & tormentis campeftribus (quæ inter duæ colubrinæ argenteæ eminebant) inftructus, implebat.

In horum primo ad fecundam arcis portam nonnihil hærendum, donec omnes poft defcenfum ex curru & equis, gladijs noftris depofitis inermes, præter Dominos Ablegatos (qui foli palliati incedebant) reliquum iter per medias cohortes ex utroque latere infervientes, priori fervato ordine, pedites profequeremur, adventum noftrum præftolante è feneftris, Czaro cum fuis Bojaris, & Principe filio, qui hac primùm die in publica audientia legitimus hæres, & Patris fucceffor proponebatur.

Ut in horum confpectum venimus, Magnúmque Ducem, qui totum procedendi

ordinem

ordinem obſervabat, contemplati, ad primum ejus intuitum capita officiales nudavimus, quod idem *Priſtafus* à Dominis Ablegatis, repetitâ monitione, ob Czareæ Majeſtatis præſentiam humanitatis ſaltem cauſa præſtari rogavit; qui quidem diſcooperto capite eandem venerati ſunt, donec aſpectum præterijſſent, ac primos Arcis gradus attigiſſent, quos penes ab Officiali quodam Czareo nomine ſalutati, eoſdem tecto vertice aſcendentes in ſummitate, denuò per alium Commiſſarium excepti, per aulam, & conclave conferto miniſtrorum famulantiúmque examine repleta, ad oſtium Auditorij pervenimus, quo, poſt rogatum per *Kneeſiorum* duos ſanitatem aperto, Czaream Majeſtatem in throno, qui baldachino nudus, collocatam, Eidem ad lævam ſereniſſimum filium aſſidentem conſpeximus. Uterque ſuum manu tenebat baculum cujus ſummitati ſemiluna dabat coronidem.

Habitus Ambobus ex rubro ſerico, tam thoracis (quem *Kaffian* dicunt) quàm togæ ſinuoſo ad terram volumine defluentis (quam *feres* appellant) aureis fibulis pro

more gentis in tranſverſum inſutus; collaria majorum unionum copia onerabat potius, quàm ornabat; Mitram verò pretioſus lapis à fronte tergóque mentitis ab arte faculis accendebat ignitam.

Stabat ad dexteram ſupremus campi præfectus Czari conſanguineus *Dolgeruki*, & Artamon Sergeowitz Matpheou, Bojarorum primus, ad ſiniſtram multis Bojaris conſidentibus, quatuor ante Czarum ſatellites præſto ſtabant tecto capite, & lunatis ſuper humeros ſecuribus armati.

Auditorium totum, quanto illud ſpatio patebat, figurarum varietate deauratum per quatuor ſolùm feneſtras immiſſam lucem excipiebat: Ingreſſi ante faciem Czareæ Majeſtatis terna à nobis corporis inclinatione ſalutatæ ſubſiſtebamus, ad quam D. de Bottoni Ablegatus primarius, ejus ſiniſtris adſtante Domino Terlingo prolixum ſatis ſermonem germanicè ex charta habuit, in quo ſalutem fraternam à Romanorum Imperatore (totum majorem titulum recitando) annuntians: ab Eodem ſe miſſos ajebat, ut mentem ſuæ Czareæ Majeſtatis (titulum nectebat ſupra relatum)

tum) circa arctiorem correſpondentiam per binas Legationes Viennæ ſollicitatam intelligerent, ac ſuper hac cum negotio huic deputandis neceſſaria puncta ſtabilirent; ſiquidem plena eorum tractandorum & concludendorum potentia, à Sacrâ Cæſarea Majeſtate ſit authentico credentialium tenore collata: apprecationem in fine ad Principem filium de felici hac die ejuſdem propoſitione, & prima legitimæ ſucceſſionis declaratione faciebat. Propoſita dum interpres idiomate Rutheno ad omnium notitiam retexeret, litteræ Cæſareæ per ambos ſimul Ablegatos ad manus Czari deportabantur, qui acceptas Artamoni *Sergivvitzio* poſtmodùm tradebat.

Reverſos ad priorem ſtationem Dominos Ablegatos detecto capite Czarus ipſe de valetudine dilecti Domini fratris ſui LEOPOLDI, ac dilectæ ſororis Claudiæ interrogavit: Eam patris quæſtionem ſereniſſimus filius, loco *fratris*, & *ſororis* ſubſtitutam *Cognati* & *Cognatæ* titulum uſurpando repetivit; & ut primum uterque Dominorum Ablegatorum ad manùs oſculum, à patre filióque admiſſus eſt, dexteras

teras eorum *Dolgeruki* & *Artamone* tenentibus, quod quisque in accessu factâ ante Czarum reverentiâ præbebat: eâdem in regressu eodem numero repetitâ; priorem statio-nem ambo simul relegebant.]

Czarus allato in hunc finem scamno tamdiu eos faciebat considere, donec à nobis omnibus, qui legationi ab officijs gratiam concedendo eandem manus osculum excepisset.

Finieramus, & surgentibus de scamnô Dominis Ablegatis per interpretem insinuari volebat Czarus, ex litteris Cæsareæ Majestatis in vernaculam linguam translatis Domini Fratris sui LEOPOLDI mentem se perspecturum, certósque ex primarijs statûs Ministris nominaturum, quibuscum in deputando loco, ratione eorum quæ continerentur collatis salutarium mutuò consiliorum symbolis, conferentiæ instituendæ.

Afferebantur intereà *Czaro* destinata & juniori Principi dona Cæsarea, ordinem illorum quodam qui à secretis, recitante: *Czarus* irretorto intuitu arbitrabatur singula, gratámque acquiescentis animi com-

pla-

placentiam in ijs oſtendebat, quæ ſingulatim exinde ad Aulam auditorio contiguam reportata. Solutus tandem congreſſus poſtquam monitus interpres, liberali nos cænæ eodem adhuc veſpere, in magna legatorum domo indic cabat adhibendos.

Czariſſa quæ toto illo tempore dum recenſita perageretur ſolennitas, ex cubili per januæ perforatæ rimas inſidiantes oculos intenderat curioſa contemplatrix, à juniore principe filio januam, priuſquam omnes nos ex auditorio diſcederemus incautè aperiente prodebatur.

Recenſito nobis ordine viam remetientibus, in ſecundo propylæo obvium cum donis ſuis prædivitem mercatorem offendimus, aurum & muſtelarum Scythicarum exuvias Czaro oblaturum: Nos reſumptis gladijs equos conſcendere priorem viam repetituri; currum autem memorati caballi ad primum tentorium, inde ſex alij in horum vicem ſubſtituti deproperantibus priorem orbitam rotis retrahebant. Verùm cum ingruentes jam tenebræ, ac ipſa nox viam oculis noſtris propemodùm ſubducerent, ſufficientes ex arce faces ad hanc

illuminandam ſubminiſtratæ; quarum beneficio circa horam noctis ſecundam; horologio enim planetario, Ruthenis non diei ſolùm, ſed noctis etiam tempora in duodecim horas æquali mora dividuntur; Moſcuam pervenimus.

CAPUT XI.

Dona Cæſarea Magno Moſcorum Duci delata.

TErna diverſi operis dona Majeſtas Cæſarea Magno Moſcorum Duci deſtinata voluit non proprio, ſed ſuorum Ablegatorum nomine eidem offerri: pretium hæc quinque millium florenorum, ut Rhenus æſtimat excedebant.

Principem horum locum vendicabat de argento congius, in quo elegantia multiplicium figurarum ſimulachra artifex ſcitè maleus exprimebat: Umboni Auguſtiſſima Romanorum Imperatoris, & Claudiæ conjugis effigies addebat majeſtatem, copioſo geniorum tubas inflantium numero coronatam; quæ cæli ſcalpríque magiſterium ingenioſâ ſymmetriâ elevabat: marginem

ginem parerga cælatis miro ornamenti genere floribus, decorabant elaborata.

Alterum cum aquali malluvium, multanglis ex cryſtallo montanâ folijs auro intermedio affabrè connexum, & ad quemcunque angulum pretioſo lapide munitum, manubrio, orificio, limboque ex puriſſimo auro inſigniebatur, ut rari ſic cari artificij: nitidiſſimum quippe Polygonum exceptos auri gemmarúmque ſcintillantium radios, repercutiebat numerosè auctos faceto oculorum ludibrio.

Tertium horologium rotatum majus ad parietem pendulum, cujus bractea argentum, index aurum, horarij numerorum characteres Turcoides, aliævè gemmæ in ornatam ſeriem eleganter diſpoſitæ, certante cum materia arte, curioſum & ſingulare opus exhibebat. Sed cùm Dominis Ablegatis unico die ante futuram audientiam per *Priſtafum* indicaretur: & ſereniſſimum Principem filium in eâdem primò legitimum patris ſucceſſorem proponendum, ac propterea ex munificentia Cæſarea muneribus ſingulariter donandum; quod maximè pretioſi inter proprios theſauros con-

gerere poterant, eidem è suo gremio obtulerunt. Erántque unio magnitudinem nucis avellanæ excedens, in formam leunculi concretus: duo horologia minora rotata aureis thecis occlusa, quorum quodlibet centum imperialium pretio licebat æstimatum: Chirothecarum itidem, pigmentarijs ambræ odoribus imbutarum dodecas media, totidémque tibialium sericorum paria: Omnia in quatuor argenteis patinis disposita.

Mosci verò ut homines auri argentíque imprimis appetentes, nullam artificij sed ponderis rationem habere; nec quæ curiosa sed quæ pretiosa animos eorum pascere: quare factum, ut omnia prædicta dona bilance examinarent, non artem operis, sed valorem ponderis in pretium computantes.

Graviter quoque inter alia tulerunt, non Cæsareo sed proprio Ablegatorum nomine fuisse oblata dona memorata, cùm tamen ipsorum Legati non suo, sed Magni Ducis nomine Romanorum Imperatori soleant offerre: & hæc plerumque sunt mustelarum, muriúmque quos Scythia & pontus alit exuviæ, aliorúmve animalculorum

pelles

pelles, quas regio suppeditat numerosissimas.

Caput XII.

Epulum à Czaro exhibitum post primam audientiam 12. Sept.

Vix Magnam Legatorum domum ex Arce *Kolamski* reduces subiveramus, & adest è vestigio de Camerariorum Czareæ Majestatis ordine *Kneesius*, vestium habitu & personæ gravitate insignis, cum numerosa ministrorum phalange, cantharis, poculis, phialisque aureis & argenteis instructâ subsequente, ut nomine Magni Ducis Regali nos convivio, basilicè exciperet epulantes. Hic dum in superius cænaculum vocatos per Pristafum oratores Cæsareos coram cerneret, valetudine eorum cognitâ; Czarum ijsdem suam gratiam in liberali cæna ostendere inquiebat; pro qua Dominus de Bottoni gratiarum actionem exsolvere; Architriclino interim dexterâ mappam convolutam, elatámque tenente, & ad *Kneesij* nutum explicatâ mensam sternente, alijs salem & acetum in deauratis vasculis apponentibus.

Primum in capite menſæ locum *Knecſij* juſſu ſolus occupabat Dominus deBottoni, ad cujus dexteram nonnihil remotior*Knecſius* : ad ſiniſtram verò Dominus Terlingo conſidebat : Nos Officiales longo ordine, gladijs noſtris ſuccincti inferiora tenebamus tribus ex adverſo Commiſſarijs convivantibus.

Onerabatur interim cibis menſa, qui cùm ex aula unius fermè farciminis (Leucam illi *Wurſt* appellant) ſpatio diſſita, in argenteis majoribus diſcis, ob diminutionis timorem non adeo ſplendeſcentibus per plateas nullo occluſi operculo, omnéſque ſimul deferebantur potiùs viſum, quàm guſtum paſcentes; Illorum præcipuo Moſcorum condimento, allio & cepis imbuta varietas tanta erat, ut bajuli qui ſinguli ſingulos ordinatim apponebant, videntes nos ſolo odore ſaturari, deponendis continuò occuparentur; Inter alias quóque delitias apportabatur caſeus recens coagulatus, artocreæ incluſus, quem Commiſſarius ſolo digitorum ſubſidio promptum dilacerato oris hiatui per defluum piloſi menti ſiparium, candentem ſignando gala-

xiam

xiam non sine jucundo assidentium specta-
culo obtrudebat.

Kneesio postulanti scyphus aureus vac-
ciniorum rubentium mulso, quod copio-
sum saccharum dulcorabat implebatur,
hunc ipse in sanitatem Magni sui Ducis Mi-
chalowitz (recitando totum ejus titulum
ex charta) Domino Bottoni contra hanc
protestanti sanitatem Romanorum Impe-
ratoris præferendo, propinabat, unóque
haustu ad pollicem eliguriebat: post toti-
dem alios, quotquot eramus eodem liquore
coronatos, & à ministris circumstantibus
porrectos cyathos, ille ipse singulis nobis
tradebat; quos evacuare huic nectari non
assueti licet recusaremus, animantibus ta-
men & urgentibus ad id Moscis cæcè obe-
dire conabamur: atque propinanti Majesta-
tis Cæsareæ prosperitatem infuso jam obe-
dientiæ habitu præclarè simul respondeba-
mus, nec à mensa discessum, donec Cza-
ri Juniorum Principum salus per pocula
longissimo esset ævo devota. Hinc *Kneesius*
motus fecit initium Dominos Ablegatos
ducali hoc epulo jubens acquiescere, qui
honorifica gratiarum actione peractâ, eun-

 dem

dem liberali munere donatum circiter horam noctis sextam (nobis nox intempesta dicitur) abs se dimiserunt.

Caput XIII.

Prima Conferentia in Kremelino *habita* 14. Septembris.

SEcundus post Audientiam dies fluxerat, & futura in *Kremelino* (Civitas est quam solus Czarus inhabitat) conferentia indicebatur, ad quam eâdem, quâ consuetâ semper, solennitate ducti, in magno illo atrio, Czari palatium inter & Ecclesiam summam millium aliquot *Strelizorum* exercitu passis vexillis tympanisque redandruantibus inserviente; cujus per medias cohortes ad ultimum spatij ejusdem angulum, qui sinistram palatij attingit devenie-bamus.

Tres ibidem graduum ordines per elegantem pergulam ad consuetum audientiarum locum ascensu triplici deducunt: Medius Ablegatis Ottomannicis, Persicis, ac Tartaricis reliquisque à fide Christi alienis, utpote christiana calcare vestigia, & Mag-

& Magni Ducis Palatium ſubire indignis ſecernitur; Dexter Chriſtianorum Principum, Regúmque Oratoribus aſcenſum præbet: ad ſiniſtram verò tertius ſingulari honoris prærogativâ ſolis legatis Cæſareis, & Czareæ Majeſtati per mediam Aulam patet. Hunc conſcendentes ad primam januam excipiebat inter Magni Ducis Officialis quidam, ſalutis ac valetudinis præmiſsâ percontatione. Ducti exinde ad denominatum conferentijs habendis conclave, per intervalla repetitò ſalutati, in cujus ante camera plures ex ſenioribus (conſiliarios putem) tum ob veſtimentorum elegantiam tum ætatis provectæ & quod oramenti genus non minimum his in regionibus eſt, promiſſæ barbæ caniciem conſpicui, per altiora ſubſellia venerandâ circùm coronâ conſidebant. Parietes undique mira peripetaſmatum acu pictorum raritate veſtiti, menſa, cui atramentarium cum alia litteraria ſuppellectile impoſitum, attalicâ telâ ad terram uſque defluente inſtrata; Scamna itidem tabulato adhærentia textilibus magnificè erant obducta.

Præſtolari hic primarius Czari Miniſter

& proximus Bojarus Artamon Sergeowitz Matpheou cum ſupremo Regni, alijſque duobus Cancellarijs Dominorum Ablegatorum præſentiam. Ad primum hos ingreſſum ſalute impertire, illiſque indicare ſe cum præſentibus, poſt litteras ſacræ Cæſareæ Majeſtatis vernaculo exemplo à Czaro lectas & perceptas, ad ſecretiora hujus commiſſionis puncta pertractanda nominatum.

Officialibus itaque noſtris, qui ad ipſum conclave penetraverant comitati, aliiſque Moſcorum miniſtris conferentiarum loco exire juſſis, remanſerunt ſoli præter dictos quatuor, duos interpretes, Relatorem unum, & me Legationis Secretarium Domini Ablegati Cæſarei, ſuáſque circa menſam ſedes, Dominus de Bottoni Bojarum Artamonem à dextris inter, & Dominum Terlingo à Siniſtris in capite mediam; à dextero vero latere tres Cancellarij in uno ſcamno occupabant, ad menſæ infimum è legatorum regione ſubſiſtebàm ego, calamo quæ dicerentur excepturus, gemino interprete & relatore remotis à menſâ ad latus ſtantibus.

Præmiſerat Dominus de Bottoni brevem quandam gratiarum actionem ob regale, quo excepti epulum, eandémque ipſi Czaro in exhibenda rurſus audientia meditabatur, cùm *Artamon*, nec neceſſarium illud, nec ob Czari modò obſentiam poſſibile ad ultimam valedictionis expeditionem opportunius remittendum, ut conferentiæ fieret exordium.

Curialia is primùm diſputabat: æqualitatem nimirum Czarum inter & Romanorum Imperatorem in admittendis & dimittendis eorum Legatis unam eandémque (uti fratres) obſervandam. Hinc cùm ſua Cæſarea Majeſtas *Potemkino*, qui ultimus Viennam legatus, in dimiſſoria audientia, litteras ad Magnum Ducem reſcriptas, proprijs manibus non tradiderit, ſed per ſecretarium ad ejuſdem hoſpitium remiſerit, futurum ut ſua Czarea Majeſtas poſt hac Cæſareæ Majeſtatis Oratoribus non propria, ſed Miniſtri manu ſit remittendas porrectura; qua potiſſimum de cauſa indecens *Potemkini* litteras Cæſareas in hoſpitio Viennæ ſub excubantium præ foribus militum fide relinquentis factum ex-

cuſabat, cui unicè id commiſſum eaſdem non niſi per Imperatoris manum datas acceptare. Adhuc Domini Ablegati Cæſarei laudabilem inter utramque Aulam conſuetudinem, quæ legis inſtar foret, ſanctàm & illæſam conſervandam: cùm primum itaque in Aula Cæſarea inſuetum; alterum verò in Moſcovitica uſitatum, circa alias legationes obſervatum, neutrius modò ordinem immutandum; ac propterea non habitâ audientiâ ſe diſceſſuros prius quàm novitatis quidquam admiſſuros. Ad ſecretiora poſtmodum deſcendebatur, quæ ne publicam cenſuram merear, ſileo: ſecreta incipit conferentia.

Caput XIV.

Egreſſus Magni Moſcorum Ducis ad Monaſterium Sanctiſſimæ Trinitatis 29. Septembris.

Czarus ad ſpectandam ſolennem iſtam, & juxta morem inſtitutam ſibi annuam peregrinationem, ubi clara ſua lumina omni populo contemplanda daturus erat, Dominos Ablegatos Cæ-

ſareos

ſareos aliquot dies ante per Commiſſarium invitaverat: quem in finem ut tantò perſpicacius, quò tardius oculos præterirent, & animis hærerent notiora, extructum fuit è regione pontis regij ad fori Aulici extremitatem præaltum pegma, undique panno viridi contectum: alia itidem duo minus elevata & ampla pro Reſidente Danico ex latere pontis, & Polonico in platea foro proxima ſtabant parata.

Dum itaque dies vigeſimus nonus Septembris apud nos Archangelo Michaeli ſacer, apud Ruſſos decimus nonus illuxiſſet, ſub horam octavam antemeridianam unus ex belliducibus *Jannoff*, unà cum Legione ſua mille quingentorum veteranorum peditum, viam Domino ſuo paraturus, ſequenti ordine prævivit. Vehebatur à fronte in medio pyrobolarij & incendiarij tormentum bellicum, ille haſtâ, in cujus extremitate aquila biceps ungue funem accenſorium complexa inſtructus, hic enſe ſuccinctus & prælongâ ſecuri armatus comitabantur. Generoſiſſimus dein memorati Ducis Caballus lateralis, exuvijs tigrinis ſtratus, à duobus famulis ducebatur:

quem

quem ipse Collonellus Legionem præequitando solus ornatu vestium &.unionibus gravis secutus est, equo insidens colore licet, at generositate minus dissimili, cujus frænum catenæ nectebant argenteam argenteæ, habenæ verò ex linteo auro contextæ: ephippium de rubro holoserico encaustico opere distinctum, quódque reliquas à tergo partes tegebat, non nisi auri ductilis stratum erat. Latera generosi Ducis stipabat panno rubro togata securiferorum phalanx, post quam & medium duos inter hastiarios signiferum buccinatores & tympanotribæ sui psalterij concentum dedêre: sic in duodecim distincti cohortes, *Strelizi* ense succincti, sinistris bombardas, dexteris vero humeris securim lunatam (cui collimantes fuscinulæ instar sclopetariæ bombardam imponunt)portantes; præcedente unamquamque curruli machina, ex urbe ad apertum campum tendebant: ubi jam paratus & instructus quatuordecim circiter millium virorum exercitus Czaro præstolabatur.

Quiescebant post hæc omnia ad horam usque primam postmeridianam, quo tempore

pore

pore Domini Ablegati præmiſſo ex aula curru cum *Priſtafo* ad præparatum ſibi locum, præeuntibus pediſſequis, nobilioribus verò ex latere equitantibus ſunt deducti. Ubi forum copioſo plebis accurſu adeò confertum, ut nec feneſtræ, nec ædium templorúmque tecta prægravi ſpectantis populi onere fuerint libera: inter quos etiam inſidere tecto, non nudo quidem, ſed tapete obducto, cum ſuo comitatu Ablegatus Perſicus viſus eſt.

Dúmque jam omnes præſentes avidè expectarent, triginta aliquot impedimentorum currus ſuccedaneâ vice dederunt initium, nec non ipſe *Juan Demidovvitz* Camerarius, equeſtrem inter cohortem eques duos *Czareæ* Majeſtatis Lectos, nobiliori panno rubeo involutos viâ regiâ præduxit.

Exordium verò tam magnificæ pompæ prætoriana Magni Ducis Legio auſpicata, de qua ducenti quinquaginta deſultorij membratim procedendo, ſed ſine tubarum clangore, tympanorúmque ſonitu ſua in altum erigebant ſclopeta, hinc inde multo auro coruſcantia. Quorum DuxGeorgius

Petro-

Petrovvitz Lutochin Dapifer & Colonellus, tum vestium splendore, tum personæ gravitate insignis mandenti argentum equo, uti generositate nobili, ita ornatu diviti imperabat: quam ob causam incessu insolito & ipsius Ducis & militum ad aliquid insueti pone secuturi spectantium animi accendebantur.

Nec vanâ spe delusi, siquidem *Taràs Radobskin* stabuli Magister plurima oculis admiranda objecit; qui sexaginta duos omni numero nobiles, vix explicabili auri argentique ornatu frænatos, stratos tectósque à latere caballos, inter quos distincto ordine duodecim de Czarea rheda rubro holoserico involutos unum post alium per duos quemque stratores ductum, tum currum *Czareæ* Majestatis secundarium, auro & crystallo splendentem post se ambulantes habuit.

Novus dein, novi ordinis ductor *Peter Jacolevvitz Wigeslaffski*, à cujus tergo scabellum *Czareum* ad conscendendos equos aptatum, rubro panno opertum ferebatur. Excipiebant istud octo primarij de sella *Czarea* equites, non vestitu modò augustiori

ri quàm præcedentes amicti, sed ad distinctionem insuper argenteo quodam & deaurato annulorum genere anteriores soleas calceati; quoscunque inter persicæ culcitræ pro equorum peculiari tegumento auro argentóque mirabili opere contextæ à duobus famulis singulæ portabantur.

Elatis manu sagittis equitabant sagittarij, ac duo Armigeri, *Nolnick*, enses *Czarea* Majestatis,& sereniſſimi filij gestabant: Horum vestigijs inhærebant juniorum Bojarorum duo, ac ipse currus qui Magnum Ducem sereniſſimum filium natu-majorem, ac campi generalem *Dolgeruki* vehebat, cujus latera stipabat prælongus hastiariorum & securiferorum ordo, viámque ex utrâque parte ducenti *Strelizi* deauratos manu & argentatos bacillos gerentes ad unum formatos exemplar parabant.

Currum ipsum Magnus *Bojarorum*, Camerariorum, & Dapiferorum numerus comitabatur auro argento & unionibus gravatus: tres demum rhedæ ac famulorum turma agmen claudebant.

Sed dum *Czarea* Majestatis currus ad extremitatem pontis nobis proximam venisset,

niſſet, aliquamdiu conſtitit; ex quo moto pileo *Czarus* Dominos Ablegatos Cæſareos benigniſſimè abs ſe ſalutari oſtendit, & inſuper miſſo ad eos Magno Regni Cancellario in eorundem proſperitatem comiter indagavit; idipſum & ſereniſſimus Princeps filius exemplo parentis, Cancellario itidem remiſſo ſciſcitari præcepit.

Alia pompa ſereniſſimæ reginæ fuit, per aliam aulæ portam pegmati noſtro proximam egredientis, quam Ivan *Cribagedoff* Dux cum ducentis circiter deſultorijs præibat: horum veſtigia premebant duodecim de *Czariſſæ* curru præalti niveique jugales toti holoſerico filoſo involuti.

Trahebatur poſt hos junioris Principis rhedula tota auro incruſtata à quatuor pygmææ gentis Caballulis, totidem proceræ ejusdem nationis maſculi ſtipabant latera, ſimiliſque ſtatura ſimili equo inſidens ſubſequebatur. Alius dein quo vehebantur Principes filij currus præcedebat Reginam matrem, cui è veſtigio ſucceſſit ipſius Reginæ rheda, gratia ſingulari & benignitate ob Cæſareæ Legationis præſentiam aperta, à duodecim equis, ob magnitudinem enor-

mem,

mem, inter parentem, & Artamonem Bojaros pedites, atque plurimos officiales ducta: totidem equi & sororum, & cognatarum trahebant currus, agmen alijs quadraginta duobus, qui Matronarum Aulicarum syrma traherent, & equestri ordine claudentibus.

Caput XV.

Secunda in domo Artamonis Conferentia die 20. Octobris.

Mosci accurato super proposita in priori conferentia Dominorum Ablegatorum Cæsareorum puncta examine habito; antequam Czarus à sua peregrinatione reverteretur, alterum in domo *Artamonis Sergievvitzij* conventum coëgerunt, tum ut ea quæ pertractanda restarent ipsis palam fierent, tum quò mentis suæ declarationem, circa percepta aperirent. Videbantur enim discessûs nostri urgere maturationem, vel ut *Magno Batavorum* venturo Legato, & confinia territorij Moscovitici jam ingresso, cum comitatu, qui octoginta plures numerabat, loco cederemus; vel ut majoribus in protrahenda tot

Ablegatorum ſimul confluentium præſentia, parcerent expenſis.

Brandeburgicus etenim legatus Dominus *Schultetus*, qui eâdem in cauſa, quam commiſſio tractabat Cæſarea, partialiter ſaltem negotiaturus non ita pridem ante nos Moſcuam tetigerat, eo ipſo die quo nos in prima coram Czaro audientia compariturі, ultima expediendus fuiſſet; niſi frequens Dominorum Ablegatorum Cæſareorum apud Artamonem inſtantia remoram injeciſſet: Hi enim neceſſariam conſiliorum cum Electorali communicationem cauſando, obtinuerunt itineris dilationem, quam ipſe ſibi fruſtraneo labore conatus extorquere. Ne autem pari ratione Domini Ablegati Cæſarei diſceſſui ſuo neceſſariam cum Magno Batavorum Legato conferentiam prætexendo motionem retardarent: callidè Moſci ejuſdem, non aliorum, quàm mercaturam concernentium tractandorum commiſſionem evulgabant.

Miſſi jam ad horam diei ſecundam cum equis & Czareo curru, conſueta ſatellitum turma, interpres & *Priſtafus*, qui ordinario procedendi modo ad *Artamonis Sergiewiczij*

vvi'zij ædes ducebant, ipſo venientibus Bojaro per gradus obviam deſcendente, benevoláque in proprijs ſuſceptione honorante. Ad hujus dexteram Dominus de *Bottoni* gradus ſimul conſcendere, & per tres contiguas aulas ad intimum domûs conclave penetrare, aſſumptis ijs, qui primæ adhibiti conferentiæ, reliquis ante fores commorantibus.

Ornabant illud non modó tabulatorum, & Imaginum SanctarumGermanico adumbratæ penicillo picturæ; ſed etiam varia horologiorum opera diverſimode horariam periodum obambulantia curioſum reddebant obtutum. Quædam etenim indice (quod in Germania uſitatum) à meridie horas ſignante diem metiri aſtronomicum: Alia ab occaſu ſolis horas numerare Bohemicas aut Italicas: alia ab ejuſdem ortu aut æqualis ſemper horis babylonica, aut planetario curſu ijſdem pro menſium vice inæqualibus Judaica tempora imitari: Alia denique à media nocte Latinæ Eccleſiæ diem exordiri. In alijs Ruthenorum conclavibus vix ordinatum ita quidquam cernitur: Solus memoratus Bojarus, ut reliqua in

eo ſumma ſileam; ſingularis Extraneorum fautor, & amator (patrem germani Moſcuæ degentes dicunt) Ruthenum quaſi genium exuit, cultiori præ cæteris imbutus. Solus hic filium ſuum, præter patriæ morem comam alere, & ab exteris Præfectis morum, linguarum & diſciplinarum politiorum notitiam facit imbibere; Princeps & nominis famâ, & naturæ dotibus excellens: Dignus eo, quo (defuncto poſt noſtrum diſceſſum *Czaro*) involutus apud filium (ut fama) affulgente iterum fortuna, explicari Labyrintho. Hic ut à Czaro reduce audiremur promptius expediendi, in hac conferentia poſtulatis reſpondere, petitis ſatisfacere, ſtabilire rata, & quæ ponderoſis rationum argumentis probata concludere.

Circa curialia acres iterum in ſententias itum. *Artamon*: cùm Romanorum Imperator *Czaro* non *Majeſtatis* ſed *Serenitatis* titulum ſuis in litteris ſoleat impertiri eodémque Domini Ablegati in prima Audientia uſi tantùm fuiſſent; fore, ut Czarus in reſcribendis ad Romanorum Imperatorem litteris, Eum ipſum titulo riciſſim

Sereni-

Serenitatis tantùm fit compellaturus: Fratres esse Romanorum, & Moscorum Imperatores, eodem se mutuò titulo compellare necessum esse. Cæsarei contra: Unde ergo *Czareos* inter Principes fratres titulorum diversitas? Magnus Dux, *Czarus* Ducis frater non item compellatur: *Majestas* à Russis *Czaro*; non *Czari* defertur germano: domestico exemplo fundamentum ruere; petitis aliunde non opus labefactari, fratres, quos natura junxerit, non eundem sibi titulum referre; minùs ab ijs quos sola dignitatis, honoris & amicitiæ causa fratres compellat, exigendum: *Czari* titulum Cæsareo cæteroquin attexendum, & Ruscicæ Monarchiæ Principatus Cæsari deferendos. Accendi hisce in iras *Artamon*, Cæsarique *Invictissimi* titulum negare, soli Deo tribuere. Nostri è proximo arundineto, sagittam promere: nec *Czaro Auto-Crateros* titulum, quod est, *Ipse Conservator*, competere, solum Deum *Auto-Cratera* esse, unicum sui & omnium Conservatorem: suâ privatorum personâ *Czaro Majestatem* demississimè deferri; publica autem Ablegatorum, quam gererent, nullum Au-

 gusti-

gustissimo, & Invictissimo suo Cæsari posse creare præjudicium. Placari momentis *Artamon*, manu Legatos placidè prehendere, comitérque subnectere, si hoc complanatum; arduum nihil, plana omnia. Petierunt inde Regum aliorum exemplo Ablegatorum alteruter in *Czari* aula resideret; Oratores reponunt cùm instructionis legitima desit facultas, mandati terminos non excedendos. Ego manum de tabula; calamum secretæ conferentiæ.

CAPUT XVI.

Reditus ab annua peregrinatione Magni Czari in Urbem Moscuam

12. Octobris.

SI quid insoliti & admiratione dignum, Magnificus *Czarea* Majestatis exitus ad Monasterium Sanctissimæ Trinitatis, Moscuâ duodecim milliaribus dissitum, in Spectatorum animis excitavit, non minus id devotione peractâ fecisse videtur ejusdem ab annua peregrinatione reditus, & non absimilis exitui in Urbem regressus. Ad hunc quanta cum solennitate, sit peragendus arbitrandum, Domini Ablegati in paten-

patentem campum ante ſuburbia, ubi quatuor panno viridi contecta pegmata, datâ pridie quodcunque ex his ſeligendi poteſtate, pro commodiori aliorum Reſidentium ſtatione parata, præmiſſo *Czareo* Majeſtatis curru proprio, ac ex Regio ſtabulo pro nobilioribus Aulæ datis equis à duobus Regni Cancellarijs, ut qui claros Magni Ducis exeuntis oculos contemplati, clariores revertentis intuerentur, duodecimo Octobris, circiter horam decimam ante-meridianam ſunt deducti.

Stabat ibidem ſuis inſtructus lanceis bombardis ac ſecuribus duodecim millium *Strelizorum* exercitus unius fermè leucæ ſpatio per totum campum, & utramque viæ alam benè diſpoſito ordine explicatus, inque ſuas legiones verſicolori veſtium habitu diſtinctus: & confeſtim viſo Dominorum Ablegatorum Cæſareorum adventu, dato ad id per tympaniſtas ſigno ad arma confugiunt milites, vexilla pandunt ſigniferi, & colonelli debitam à fronte occupant ſtationem ſua offerentes officia, eundem per hoc omnes honorem Romanorum Imperatori quem Legatis exhibituri.

Nos omnibus paratis ac in procinctu ſtantibus, inter perſonantium tympanorum ſtrepitũ, per medium totius exercitus lentâ vecti rotâ, ut tanto clarius ſingula perſpicere, notare, & admirari potuerimus. Tandem ad *Maria-Sylvam* conſtitimus, quo in loco *Czarea* Majeſtatis tentoria tria de panno coccineo pretioſiſſimi valoris, vario figurarum genere extrinſecus inſuta, intus verò tum holoſerica, tum argentea & aurea tela veſtita, panniceis muris invicem ſejuncta, ijſdemque ad normam fortalitij quadrangularis circumvallata, propugnaculis & cortinis, alis, & loricis quin & turribus ad quemcunque angulum munita, pro aliqua *Czarea* Majeſtatis reſpiratione ante ingreſſum erant firmata.

Hæc ut interius quoque contemplaremur, Domini Ablegati Cæſarei ex ſingulari benevolentia, & affectu una cum ſuis ſunt intromiſſi, illiſque perſpectis priorem viam per integrum exercitum, centum quadraginta cohortibus conſtantem, uti ex totidem ſignis, totidémque tormentis bellicis, colubrinis, & bombardis campeſtribus conijcere, licuit relegerunt, ac aſſignatum electio-

electione propriâ, stationis locum conscenderunt.

Modico temporis intervallo elapso, suum ingressus ab eodem sortitus est initium, à à quo suum exitus nanciscebatur exordium, erat is *Jvan Demidovvitz* Camerarius, quem longa Desultoriorum, Pedissequorum equorúmq; Leopardinis, & tigrinis exuvijs stratorum, eo quo egressa ordine phalanx sequebatur. Mirum dictu qua generositate tympanorum strepitu, buccinarúmq; & tibiarum clangore excitati salitârint sonipedes, imparibus coërcendo illorũ impetui stabularijs: imò factum ut suâ ferocitate equus prævalens frænantium vim fregerit, ac illorum manibus liber, citato cursu alium equitem obvium, cum equo in terram prostratum soleis ferreis læsum semianimem reliquerit, in conspectu nostro, Moscis nihil minus curantibus moriturum.

Tandem corona nobiliorum Aulicorum circumdatus apparuit currus quo *Czarus* vehebatur, & ad lævam ejus serenissimus filius natu-major, sedente ex adverso illorum *Kneesio Adovvitzkio Bojaro*: sequebantur multi satellites hastiarij, *Kneesij*, *Boja-*

ri, Dapiferi alijque nobiliores quàmplurimi, in generosis ac phaleratis equis, stipantibus utrúmque latus ordinatâ serie ducentis Strelizis cum securibus suisque sclopetis, nec non eorum alijs cum obductis argento bacillis ad viam Domino suo instruendam.

Facta vicinior *Czarea* Majestas stationi Dominorum Ablegatorum jussit sisti currum & per missum quendam Cancellariū de eorum incolumitate interrogavit. Ille quod ridiculum, & nullibi præterquam inter Moscos receptum est, non expectato responso quod à Dominis Ablegatis pro debita comitate parabatur, ad *Czarum* redijt, retulitque quæ dixerat; sicque processit in Urbem pompa.

Post mediam horam apparuit eodem ordine, quo exiverat *Czarea* Majestas conjunx, curru ad pompam deaurato & purpurei coloris holoserico raso magnificè contecto, vecta; apparuit illa regiè vestita multisque margaritis, & auro, ut solet, ornata, in aperto curru omnibus præter morem spectabilis, stipante patre *Cyrillo Bojaro & Artamone Sergievvitzio proximo Bojaro* in equis, multaque nobiliorum equitum peditúmque turma. San-

Sanctus est cæteroquin adeo *Czarissæ* aspectus, ut Rutheni ipsi, quo currum subintrantis, eóve exeuntis obtutus minùs profanent, aut prono in terram vultu procumbere, aut verso minimùm corpore, aliò oculos conjectare jubeantur.

Artamon primarius minister qui ad dexteram currûs equitabat, fidus *Czareæ* conjugis custos, à *Czaro* pro ea, qua eum comprimis diligit fiducia hujus officio specialiter præpositus, jussu accepto, illicò ut ad Dominorum Ablegatorum stationem ventum, ijsdem citato equo adest, & mandato Dominæ suæ de salute Conjugis, filiæque primarij legati, eâ quâ solet gratiâ & dexteritate sciscitatus; accepto ab illis responso, & humili gratiarum actione erga Czaream Conjugem, voluit & ipse comitate suâ ex proprio nomine salutare, à quibus vicissim comiter resalutatus discessit, & ad Dominam suam reversus est.

Tres alij majores currus, & quadragintaduo minores, panno rubro obducti, omnes aulici gynecæi Matronis repleti insequebantur. Prætererant hi, & totus exercitus ille in suas alas distributus, personan-

ſonantibus tympanis, tibijſque canentibus per varias portas ipſam Urbem introivit. Ut perventum eſt ad Czareum palatium, Magnus Dux à Civibus, militibúſque, qui per deputatos ex ſuis gremijs illum venerati, exceptus eſt: felicem gratulantes illi Principi ſuo reditum eidem, panem ſalèmque, qui cibus myſterij penes Moſcos plurimum involvit, pro more obtulerunt. Inventum ſane nobile, quo Principis affectus in ſuos, horúmque in eum obſervantia conſervetur.

CAPUT XVII.

Congreſſus variorum Reſidentium cum DD. Ablegatis Cæſareis.

EO ipſo nobiſcum tempore, variorum Regum, Daniæ, Poloniæ, Perſiæ, cum Legato Brandeburgico, negotijs Principalium occupati Moſcuæ morabantur Reſidentes: qui frequentibus ſuis viſitationibus, Dominos Ablegatos Cæſareos ad mutua reviſendi officia provocabant, tum ut Romanorum Imperatori obſervantiam Regum ſuorum nomine oſtenderent, tum etiam in extremis Scythiæ finibus

nibus, familiaritatem quandam inter se, & solatium conciliarent.

Hos inter Persa primus fuit, qui liberali merendâ in vicino domui nostræ hospitio, ligneis solùm in transversum actis trabibus, Architectura hæc est patria, extructo, Dominos Ablegatos cum suis exciperet, ad atrium usque obvius suo stipatus comitatu: Duplex adhibebatur Interpres, unus qui Persicum rutheno, alter qui ruthenum germanico idiomati redderet, ut utrique parti miscendi colloquij sensa vernaculè panderentur. Ut ad hypocaustum, cujus solùm pictis undique acu persicâ tapetijs contectum, ascensâ scalâ perventum; sedes sine sedibus jubebamur cum epulo captare: Humi considebamus humiles in refectorio pedibus decussatis religiosam agentes pœnitentiam: in singulis scutellis apponebatur à mensæ Ministris cuique sua separatim portio, quæ saccharum erat, & vinum hispanicum. Vota renovavimus Cæsareæ, Regiæque prosperitatis; cùm lepidum visu spectaculum: Propinabat dictus Residens Cæsareæ Majestatis, & alias sanitates, at Machomete vina prohibente, anhelantibus pulmo-

pulmonum follibus attractum, plenisque buccis in auras explosum tabaci fumum, quem incendiarij duo ad fenestram stantes (tubus enim hypocaustum transiens eousque pertingebat) acceptâ tesserâ admotis ignibus excitabant: Nos almo terræ, quàm fumoso aëris elemento Cæsari hoc in negotio fideliores, vino hispanico palato & linguâ germanicis respondebamus. Epulis his & insueto potissimùm sedendi modo satiati, de terra surgentes relatis gratijs discessum moliebamur, quos Residens ipse cum suis ad atrium valedicens deducebat.

Residens verò Danus *Magnus Goe* qui singularem inter omnes Moscuæ in convivijs adornandis prærogativam obtinet, epulo ùt opiparo, ita remotioribus istis Orbis partibus raro, unicos primùm Dominos Ablegatos Cæsareos, altero vero die primarios Officiales adhibebat, frequens domi nostræ conviva. Remittendum hunc in Daniam contendebant Mosci (causam volo nescire) ac priusquam à suo Rege ad missas super hac re litteras responsum posset recipere, dicto eum die Urbe volebant facessere; authoritatem tamen & instantiam

suam

ſuam Dominis Ablegatis Cæſareis interponentibus, condeſcenſum.

Nec Polonus qui primò Legatus; Moſcuæ nunc Reſidens, humanitate, cæteriſque præclari animi donis inſignitus deerat quin per conventus ſæpe repetitos, civilitatem ſuam & amicitiam inſinüaret, pari ſemper viſitatione per Dominos Ablegatos Cæſareos honoratus.

Verùm cùm inter fratres quandoque Angelos, compoſitâ perfidorum fraude, ſeminentur zizania, fuerunt qui mendacij ſpiritu ſuggeſtore, aſtu falſitatis excogitato, vinculum iſtud ſubdolè conarentur interrumpere; ſuſurrabant enim, Commiſſionem Cæſaream, ſuppetias Polonorum Regi in Podoliæ confinibus adverſus univerſalem Chriſtianorum hoſtem ferendas in habita conferentia ſubvertere machinatam, quæ meritò quietum Miniſtri fidelis animum varijs cogitationum procellis obijciebant jactitandum: Horum veritas ut tanto pateret clarius, quod officij, fidus exequebatur; Dominos Ablegatos Cæſareos convenire, audita recenſere, & facti cauſam inquirere, animadverſis illi delatorum

inſidijs,

insidijs, ut sceleratos eorum ausus retunderent irritos, Latino transcribunt idiomati, Germanicam propositionem, quam in subsidium afflictæ Poloniæ primo conventu attulerant, contrariúmque remonstrando, motos animi fluctus componebant.

Placatus elisâ ille mendaci oggannientium conjectura, gratia de communicata copia referre, confidentiam redintegrare, ac ceptam semel coroborare familiaritatem: imo per rescriptas in Lithuaniam epistolas efficere, ut in primo ejus Oppido Selowa *Sclovv* ad Borysthenem, munificâ, mulsi, cerevisiæ, carnis & avenæ oblatione fuerimus honorati: nec non discedentibus in omnem eventum salvi conductûs litteras sigilli manúsque fide munitas conferre.

Deníque ita charos ubique Cæsareæ Majestatis Legatos, Moscuæ cæteri exterorum Principum Ministri venerabantur, ut de præmaturo eorundem discessu ulteriorem correspondentiam in decurtante, conquerentur, Romanæ præsertim religioni addicti, quibus cùm publicum fidei exercitium

citium in germana *Sclavvoda* (civitas est quam soli teutones *Warsta* spatio Moscuâ separatam inhabitant)exercere denegatum, nec alium tum temporis Sacerdotem Catholicum præsto haberent, rei divinæ, domi nostræ feriatis, & dominicis diebus interesse, magno cum solatio confluentes ostendebat frequenti Sacramentorum usu adhibito. Erant qui pluribus devolutis annis gravatas multiplici peccatorum onere conscientias, hac data occasione Sacramentali pœnitentia exonerarent: alij quêis tempore concubitus nuptias; non legitimus consensus fecerat, rato vinculo copularentur: alij alia pia opera peragerent quæ tractare cùm mei fori non sit ad sacellanum remitto.

CAPUT XVIII.

Ultima abs Czaro audientia exhibita in Kremelino die 23. Octobris.

CZarus â peregrinatione redux Ablegatum Brandeburgicum Dominum Schultetum expeditum à se dimiserat, octo post diebus nos absoluturus: pri-

vatæ intereà instituuntur conferentiæ, seliguntur probata, transcribuntur conclusa, manuum subscriptione, & sigillorum appressione roborantur, ac bina exemplaria utriusque partis archivio reservanda traduntur. Nec jam quod perageretur supererat; ad ultimam itaque valedicturi audientiam recensitâ solennitate in *Kremelinum* deducebamur, in gradibus, quibus aliàs officijs excepti; nec prius admissi quàm privatum Domini Ablegati Cæsarei cum Artamone, regníque Cancellario colloquium in consueto conferentiarum loco, quem ab eo qui audientiæ deservit non nisi ambulacrum intermedium sejungit, pergula autem superiori ex parte connectit finijssent.

Assuetus Audientiarum jam patebat locus: parietes attalicæ telæ velabant aulæa, tabulatum superius nocturnas cœli faculas, sivè quas variatis periodis errare vagabundas *planetarum* nomine observamus, sive quas in *cœlestes imagines* antiquitatis Magisterio distinctas, *fixas* compellamus, astronomica eleganter symmetria exhibebat: suam astro cuilibet artificiosam *Latitudinem*, declinans ab *Ecliptica* recessus; longitu-

gitudinem item in *duodecim animantium* via Magister circinus, sic examinaverat, ut aureis *tropicis* planetarum itinera sisteret, aureisque *Coluris* æquinoctiorum, solstitiorumque Veri, & Autumno Brumæ & Æstati determinaret.

Czari thronus aureus radiantibus gemmis interpolatus, parvis in altum columnis surgebat elevatus: columnarum aliquas, corinthiacæ, quasdam Jonicæ, alias thuscæ, & Doricæ, compositæ plurimas archi tecturæ proportio elaborârat. Collocata hoc Majestas Czarea voluit clara sua lumina discessuris affulgere. Ante Czari faciem constitutos post gratias à Domino de Bottoni oratione prævia relatas, *Artamon Sergeivvitz* alloquitur; Czareæ Majestati post singula pertractata deliberatum esse nos traditis Cæsaream Majestatem litteris expedire.

Duo ergo Domini Ablegati consueta ceremonia ad thronum accedere, litterasque ex ipsius Czari manibus acceptare: Demum Czari jussu donec officiales & pedissequi Ducis dexteram deoscularentur, allato in scamno considere.

Reverſi ordine per legentem veſtigia *Priſtafum*, dapibus, eo quo prius apparatu ſubminiſtratis(jubente Eccleſiâ piſces erant & nuperis calidiores) nos mactatis præmio Priſtafis & Bajulis inter pocula valediximus.

CAPUT XIX.

Miſcellanea de Ruthenorum Moribus & Vita.

NOna Moſcuam hebdomade tenuimus, hoſpitio, quod nihil deficeret, excepti baſilico; uti ea quam Czari munificentia largiebatur pecuniarum vis luculenter, comprobat qualibet is ſeptimana centum quadraginta *Rubelas* (aureos) annonæ comparandæ numeratò ſubminiſtrabat, & omni honore cumulatos, aſſiduis viginti quatuor Strelizorum excubijs protegebat. Exitu gaudebamus, aſſumptis arbitrio noſtro, relictiſvè cuſtodijs, liberrimo, cujus adminiculo & urbem luſtrare curioſius, & in populi mores ac ſtudia licebat ſagacius indagare: quorum analecta, quæ reliquam effugêre hiſtoriam, hic compendiosè placet perſtringere.

Guber-

Gubernacula vastissimi regni, quod *aream* 108000. vel aliorum calculo 114300 milliarium germ: *quadratorum* continebat, Monarcha unus despotico moderatur imperio Czarum, hoc est Imperatorem illi; nos Magnum Ducem compellamus, qui vindicatis sibi Majestatis juribus nullius adstringitur consensu supremus omnium Legislator; usque adeo ut *Kneesij* Principes, *Bojari* Consiliarij, *Wayvvodæ* Belliduces, & quacunque dignitate conspicui Czari se mancipia profiteantur, & gerant. Solus hic tributorum, teloniorum, ferri-fodinarum, pellium, mercimoniorúmque immensos redditus collectare, suorum operâ negotiari, mulsum coquere, vina cremare, cerevisiam braxare, macellum aperire, esculenta & poculenta promere, verbo unus exercitor institorum suorum, propolarúmque rationes, & lucra capessere. Non exiguas tamen ærarij vires expensæ gravissimæ hauriunt, quas exercituum stipendijs, Aulæ splendori, mensæ lautitijs, legationibus mutuis, alijsque non imparibus Majestati pompis erogat sumptuosissimas.

Ædificiorum forma humilis, & inele-

gans, tranſverſis abjetum, pinuumvè trabibus componitur: tectum ſcandula lignea, betularum item cortex, & ceſpes cooperit, diſpoſitiſſima incendiorum materia. Sexies eo quo Moſcuæ demorati tempore graſſata flamma, millium ſemper, etiam purium ædificiorum ſtragem edidit; Strelizi tamen in plures excubias diſtributi frequenti huic malo invigilant, & dirutis ad plateam uſq; ædificijs igni limites ſtatuunt, vel ſi ſervandis ædibus pretium dederis, expanſis taurorum exuvijs, quas continuo imbre perfundunt, coriaceum murum voraci opponunt elemento.

Nec magna jactura ſi domus conflagret, aut mœror; res enim domeſtica effoſſis ſub humo cellis tutò reconditur, & empta ſequenti die in foro domus, cujuſmodi millenas & millenas aptatis jam & compoſitis lignis venum exponi cum annoſo campanili vidimus, commiſſis trabibus priori loco reponitur arte & ſumptibus penè nullis, ferinæ potius immunditiæ futurum ſtabulum, quàm humani conſortij diverſorium. Magnatum tamen palatia, & mercatorum ædificia lapide conſurgunt magnifica & robuſta,

bufta, quorum officinas & conclavia firmis concamerata laquearibus ferreæ valvæ, quæ occlufas feneftellas obarment igni reddunt inacceffa.

Czarus ob fingulares virtutes & condigna tanto principe naturæ dona, queis & publicè & privatim omnium animos fibi devincit, unus in amoribus pariter, & honoribus: unicè ob clementiffima nobis præftita gratiæ figna perenni apud germanos calamo dilaudandus. Kneefij & Bojari, ijque qui aulæ deferviunt Primates, animofi plurimùm, culti & prudentis funt ingenij, & quod exteris oftendant, nofque experti fatis benigni, cum principe fuo religionis & juftitiæ, quantum apparet, perquàm ftudiofi.

Vulgares autem quod alijs etiam regionibus commune, facilè in deteriora prolabi, atque in Scythicam barbariem efferari callidi cæteroquin Mofcorum animi in mercimonijs præfertim ac negotijs verfuti, exterorum contemptores, fui æftimatores fuperbi: Nulla fi paucos excipias difcretio, nulla inurbanis civilitas nec alia morum regula, nifi quam genij dictet indulgentia:

usque adeo mulso, & cremato viri fœminæque se ingurgitant, ut alij sine tibialibus, & calceis, alij relictâ tunicâ, absque thorace alij, multi pergræcatis omnibus nudi cauponis *Kabark* exeant, dato quo canes abigant baculo, & betulæ folijs ut secretiora tegant, melius fasces illi, qui folia protulerant, tergoribus traderentur castigandis: quotidianum hoc erat nobis spectaculum, tres quatuorvè domum ebriatos & nudos carpento devehi. Vidimus etiam nudos viros consumptis omnibus ebrietati succumbere, cùm ecce mulieres supervenientes viris insidere, unam sibi vestimenti partem post aliam dilapidandam abstrahere, & tamdiu potitare, donec vestimenta, bibendi facultas, & rationis usus simul ebrias deficeret, eæque viris confusæ in somnum, ronchos, ructus, & quæ ebriorum sunt analecta, solverentur: optimum sane conjugium, ubi virum inter & uxorem tam bellè convenit.

Nulla ciborum sumendorum urbanitas, incultissimè etenim ijsdem se farciunt, & digerentis naturæ inurbanos nuntios, quà data porta, nullâ pudoris ratione emittunt; nec

nec ullum epulum, quin eandem harmoniam, ſuperiori & inferiori regiſtro, organum ſonet pneumaticum.

Suæ tamen & benevolæ hoſpitalitatis exhibent indicia, in iras ubi repulſam tulerint, mox exarſuri; quæ inter non minima eorum civilitas eſt, hoſpitibus de ſanitate rogatis crematum per mulieres, in phiala offerri, cui hauſtu & oſculo, quin antidoto ſæpius reſpondendum.

Habitus virorum ſimilis Græcorum eſt: induſijs brevioribus ſuper caligas ad nates tantùm pertingentibus ſuperimponunt thoracem, quem *Kafftan* appellant, ad genua pendulum, huic longiorem inducunt togam, *feres* dicunt, ad terram uſque defluentem. Nobiliores tamen nobiliſſima è tela, auro, gemmíſque eundem habent cultiſſimum. Raſo omnes capite præter Popas & Monachos, eóſque qui Czari disgratiæ hoc luctûs ſigno illacrymantur: Vittam omnes capiti inducunt pelliceam nigræ potiſſimum vulpis pelle, quæ centenis licet *rubelis*, ſuffultas. Liberalioris autem barbitij copiam tanti æſtimant, ut authoritatis honoríſque vim hirſuto excremento commetiantur.

Fœmi-

Fœminæ ut non abjectæ ſunt formæ, ſic ſalacis genij & fucatæ omnes faciei, nec ulli ad Czariſſam aditus patet; niſi ceruſsâ minioque (alijs utuntur aliæ) vultum illinant, doceantque non ſemper pulchras eſſe, quæ ſemper pulchræ videntur. Conjugatæ comam ſub vitta collectam, Virgines autem ſuper humeros fluentem, nodoque inferius ſerico ſtringunt colligatam. Cæterum earum habitus virili non multum diſpar; niſi quod induſia habeant longiora quorum manicæ decem ulnas noſtrates excedant: dignioris autem fortunæ dominæ mundo muliebri pretioſiſſimo deficientes in mulieribus naturæ perfectiones laborant palliare.

Earum labores, poſt meridianos ſomnos, qui omnibus Ruſſis communes in compitis circumactâ ſe rotâ, cujus quatuor orthogonis radijs, dimenſo æquilibriorum ſpatio, ſingulæ inſideant, agitare, aut in vaporarijs balneis lotas, nudo corpore ante balnei fores conſiſtere vel in horto deambulare: nos balneis in quas curioſitas induxerat egreſſi hortum ſubivimus, atque ultra trecentas tales Dianas, ſexûs characteriſti-

rilticam ſine ulla verecundia præferentes conſpeximus, pauciſſimæ earum, quas Virgines dicebant, ea quæ videri nollent, betularum folijs obumbrabant potiùs quam tegebant, quem ignotum his regionibus credebamus, nativi pudoris inſtinctum obſervantes.

Ex immoderato quo Ruſſi ardent bibendi ſtudio provenit, ut in rixas, furta, homicidia aliaque ſcelera facilè prolabantur; nihil in eorum ore frequentius, quam *Sukkinſin* quod ſpurium, *Bledinſin* quod adulterinum ſignificat: item *je bionamat* corrumpam matrem tuam, *je bluſemat* corrupi matrem tuam & ſimilis materiæ elogia, quæ ſine ullo diſcrimine tam in homines; quam bruta conſueverunt evomere. Hinc ne laxetur in omne ſcelus habena, vindex in ſontes juſtitia rigorosè ſolet animadvertere; ſecuri percutiuntur complures, laqueo gula infringitur multis, exilio & carcere plurimi coërcentur.

Et deterrima ſanè ac duriſſima captivorum eſt conditio, quos aut in perpetua damnari vincula, aut in fatalem quæſtionem delicta

delicta faciunt cuſtodiri; duabus bini catenis in transverſum ſic colligantur, ut pes alterius dexter manui ſiniſtræ ſodalis, hujus pes ſiniſter alterius iterum dexteræ connectatur, adjunctâ, quam poſt ſe trahant ponderosâ plumbi appendice; non lectus, non lares alij; niſi quæ digitorum & ungvium miniſterio effodiunt cubilia, quæ magno ſpatio circumcluduntur, vallis ligneis per circuitum coronata. Cibus non alius niſi qui per miſerentium manus patentibus intervallis inſeritur, aut qui egreſſis mendicatò objectatur, canes putares aut beſtias, tam avidè objecta crudæ carnis fruſta heluantur, deglutientes potiùs, quàm maſticantes unâ fame & coquente & condiente. Horreres ſi eorum ululatus audires, & infernalem pavidus judicares concentum, qui aurem tunc inconditè magis verberat, cùm Czarum urbe egredi intelligunt, ut clamore hoc gratiam, aut ſtipem minimùm extorqueant.

Ij quos perduellio reos egit, corporum in partes diſſectione, Latrones ſuſpendio, alijs alij cruciatibus pro delicti qualitate trucidantur, debitores quorum nomina

gravi

gravi ære alieno obruta, post fustigationem non solventes, aut solvendo impares, mancipia creditoribus addicuntur: qui verò tabaci fumos, pulverésque attrahunt, naribus dissectis, crimen luunt patrijs legibus interdictum.

Triplex aliud tormenti genus, sive per interlocutoriam universim quæstionis vice, sive per definitivam singulatim pœnæ loco decernitur: *Knutta*, ignis, & luxatio, quæ ubi quis omnia ter subierit, elisâ accusatione evadit impunis. Vidimus omni eorum genere in reos sæviri, spectaculo cruento: prælùdebat fustigatio *Battoki*, ubi duo baculorum fasces in proni dorso tam diu desæviebant, donec omnes diffracti in frustra dissilirent. *Knutta* autem hæc est: lictor nudatum lumbórum tenus reum, dorso excipit manibus circa collum complicatis pedibúsque colligatis; tum carnifex scuticâ ictus iterat, ut ad singulos sanguis liberaliter defluat, & totum tergus cute nudetur fœdè cruentatum. Post hoc ignis: quo lentè admoto láneata flagellatione corpora torrentur: manibus dein post terga revinctis cruciariâ attrahuntur in altum trochlea,

trabe

trabe ponderosâ pedibus alligatâ, omnibúſque diſtorti vertebris ſic luxatis, ignis additur fumúsque: in tonſum denique verticem decidua ex alto aquarum copia guttatim deſtillatur, ſupplicij genere nimium truculento.

Imo quod ridiculum non in homines modo reos, ſed in beſtias etiam & inanimata ſententia dicitur: Hircus in Bojari domo familiares inter ludos educatus, Bojari filium è gradibus deturbârat, hic poſt fuſtigationem *Battoki* in Sibieriam exul relegatur, ſententiâ tamen quod charus familiæ hircus fuerat, unius *Kopeci* in quotidianam annonam aſſignatione mitigatâ. Graviorem Czariſſæ diſgratiam æs campanum propter turbatos quieſcentis Duciſſæ ſomnos incurrerat, dejecta turri, per Carnificem flagellata *Knuttâ*, & ipſa in Sibieriam relegata ſqualore ibi conſumenda, niſi alterius, quæ defunctâ priori Czari thalamum premebat, conjugis precibus, eâ lege gratiam obtinuiſſet, ut æneis mutilata auribus, ferreas geſtaret, & humiliori deinceps campanili diverteret, æterno inſuper ſilentio imperato. Sanguinis etiam reum cul-

trum

trum egerat Czariſſa, quem & ipſum Sibieria exulem recepiſſet, niſi affabrè elaboratum ex argento manubrium gratiam impetraſſet, & Sibieriam Gazophylacio obtinuiſſet commutari, ubi ademptâ ulterius ſecandi facultate captivus detinetur.

Incredibile dictu videtur quanta cibariorum ad delitias etiam lautiſſimas affluentia: in ſylveſtri & uliginoſa plurimum regione fœcundiſſima ſoli ad fruges parturiendas benignitas, quæ exeunte modo Majo jacti ſeminis lucrum copioſa & matura ſecundi menſis ſpatio meſſe reddat uberrimum. Fertilitati deſervit plurimùm, autumnalis nivis copia, quæ ſæviente brumâ tellurem occupans ejusdem penetralia contra hyberni frigoris aſperitatem protegit, & igneos concludens in terræ viſceribus vapores, per antiperiſtaſin calefacit: accedit diuturna Solis & aſſidua ſuper *horizontem* mora; licèt enim depreſſior ille, obliquioribus radijs, ideóque minus in ſe reflexis, & efficacibus agros aſpiciat, quia tamen occumbens vix horizonti occidit (quod vel primis ſphæræ elementis leviter tincto notiſſimum eſt) facilè altitudinis defectum arti-

ficialis,

ficialis, ut vocant, diei magnitudine valet compenſare.

Nec Pomona Cerere tenacior, quæ delicata menſis vacciniorum, ceraſorum, brunorum, & pomorum apponit beliaria, cucumerum item peponum, melonúmque copiam ſuppeditat, ut numero ſic mole ponderéque admirandam. Melones certè prandijs archi triclinus appoſuit quos bilancis arbitrio vicenas ſuperare libras conſpeximus, haud gravatè ijs, qui triginta & quadraginta librarum melones progigni aſſerebant, fidem habituri. Vaferrima etenim ſolertia naturam ars in ijs procreandis ſollicitat: ut primum terræ ſemen creditum, qui curam gerant hortulanos eâ methodo aſſignat: duas cuique tunicas, duo etiam melonibus tegendis ſtragula addit; hortu ani jubentur nudi melonibus adeſſe, ſuo experturi corpore quod melones frigus uſſerit, atque ſi frigoris algorem ſenſerint, unica ſe tunica ſtragulo melones uno operire, frigore ingraveſcente alteram ſibi togam, ſtragulum melonibus alterum induere, paríque ſtudio corporibus & melonibus aëris inclementiam arcere: remittente autem

autem hyberna ſic intemperie, ut togam deponant extimam hortulani, & ſtragulum melonibus ſubducunt extimum; ſi & interiorem exuunt benigno Sole nudati tunicam, & nudos radijs ſolaribus melones exponunt, cum corpore, ubi monuerit neceſſitas, reveſtiendos.

Non ſua quoque queis de paſcuorum pinguetudine in paſtorales muſas cicutæ animentur deſunt palilia: gregibus armentiſque tanta campi valléſq; conſuluerunt prodigalitate, ut contempta pabula mandentis potius invitare orexim quam dentem videantur metuere.

Nec ferinæ deſiderantur & volatitia, benigno quippe non ſecus ac victualia, ſi vinum demas, omnia pretio comparantur. Leporem, Moſci, quod cæcus naſcitur, hoc abſtinent, duobus tribúsve *Kopecis*, (quinquaginta imperialem conflant) Lagopodum par tribus, Uro-gallus octonis aut decenis venundatur; alaudas, turdelas, turdosvè dentibus ſuis per exquiſitiores alitum cupedias illectis repellunt indignos. Certare aëri terræque aquam diceres, quæ neceſſitati & Lautitijs piſces alit lectiſſimos: mullos,

anguillas, lucios, ſalmones, ſturiones, huſones & ignota nobis piſcium genera, & quæ delicatiſſimi ſaporis ſunt horum ova, fluviorum mariúmque profundit opulentia.

Atque ceu opiparorum ferculorum appetens Ruſſorum ſtomachus ſic jecur æſtuans delicatiores palato cyathos indulgentiſſimis hauſtibus anhelat: cui opulentiores magno empta pretio Hiſpanici, Francici, Rhenaníve vini pocula affundunt. Potiſſimùm tamen negatam vinearum fœcunditatem, patrijs laborant artibus conſolari: Hinc *quaſſum*, cerevíſiam, mulſum crematúmque pro ſtatûs reíque domeſticæ conditione coquere, & arte ſimiâ vinum æmulari. *Quaſſum* tenuior fortuna infundit, poſtquam frumentorum furfuri effuſam aquam injectis candentibus lateribus, ſaxisve in miſerandi ſaporis nectar fecit ebullire. Mulſum de mellis, quæ hic locorum ſuppetit, copia dulcoratur; Nobilioris autem notæ, ex vaccinijs rubris nigrisve, aut etiam de rubo idæa medicatur. Praxis hæc eſt, & germanicæ etiam œconomiæ tentanda: fructus memoratos aquæ injiciunt

injiciunt nonnihil contuſos, donec unius alteriúsve diei ſpatio virtutem eorum illa attraxerit; aquam inde rejectis fructibus incerniculo colant, delibutæ ſic menſuris ſingulis quartam, tertiam, aut pro deſideratæ nobilitatis gradu mediam mellis addunt, toſtámque exinde panis cruſtam fermento illitam dolio injicientes faciunt defæcari: quod ſi ultra quinos aut ſenos dies cum fæce prælietur frigidiori loco reponunt, & tranquillato ſic præſtanti mulſo in lautiſſimis tantùm convivijs ſeſe ingurgitant; ſi ſaccharum aliáve aromata miſcueris, nobiliorem ſalubrioremque potum temperabis.

Mercimoniorum deníque negotioſa viciſſitudo, ea quæ patriæ natura negavit, humanâ communicatione nobiliſſimo ad mare Album emporio *Archangelo*, inde cæteris provincijs importat: Frumenta hinc, variorum animalium pelles, corium, mella ceramque reportando. Hollandis, Danis, Suecis, Germanis, Anſeaticis, Tartaris, & Perſis, Poloníſque per Moſcoviæ regnum negotia exercentibus, de vino, pannis, ſerico, gemmis argento & auro abun-

dè ita providetur, ut toto Imperio nulla nisi argentea, aureavè moneta, non ut nostra rotundæ sed ellipticæ, seu ovalis figuræ signetur, & proba æstimetur.

CAPUT XX.

De Religione Ruthenorum & ritibus.

FIrmamentum regnorum Religio: non enim constanter satis lege stringuntur populi, nisi religionis nexibus animi religentur, & legum oculis facilè illuditur, ubi diviniori metu delinquendi opportunitas non arctatur; nec imperium diu servabit regio, cui sceptra non firmat religio: nulla gens tam barbara, nec tyrannus tam immanis, quin Deos colat; si non quos metuat, saltem quêis metuatur. Et hoc ne mutilatam relationem texerem pauca de Moscorum ritibus strictim jussit mantisce loco apponere. Theonino hanc dente Mercator non minus quàm cæteras Europæ incolas rodit, fide illâ veritatis quam merentur de nationum genijs universalia

enuntiantes: Miles Auſtralis, Suevica Monialis, pons Polonicus, Monachus Bohemicus, Hiſpanorum celeritas ſuecorum fidelitas, Ruthenorum religio, Italorum devotio, Gallorum conſtantia, Germanorum jejunia, nihil valent hæc omnia. Iſta ut in Atlante ſuo aſſerit, ſic ipſius humeris ſuſtineat; Illi ego conſentio qui non niſi duas in orbe nationes adſtruit; bonam ſcilicet & malam,

Patriarcha quem Archi-popam compellant, rem Chriſtianam, quæ ritûs & ſchismatis græci eſt, toto Czari principatu moderatur, Cleri electus calculo, magni Ducis authoritate confirmatus. Metropolitæ huic Epiſcopi, iſtis reliquus Epiſcopis Clerus Monachique ſubſunt, valideque Sacramenta adminiſtrant: cum ſine juris dictionis poteſtate, ſi poteſtas ordinis adſit actus ſolum illicitus non verò invalidus efficiatur.

Damnato pridem errore laborant græco, Sancti Spiritûs proceſſionem à ſolo Patre; non item, quod orthodoxa docet Eccleſia, à Filio ut Patri conſubſtantiali, ſic confœcundo deducentes: Alterâ etiam Schiſma-

ticis omnibus communi diſſenſione à fidei unitate ſe reſecant, Romanæ Eccleſiæ datum in Apoſtolorum Principe univerſalem Epiſcopatum & Primatum negando.

Eccleſiæ licèt numeroſiſſimæ, uno tamen omnes, & certè elegantiſſimo exemplari ædificatæ, ſurgentibus quinque in altum turribus tergeminâ cruce inſignitis; difficile dictu eſt, quantum ex tot Eccleſiarum turribus, renidente minimum ſi non auro radiante laminâ contectis, urbi accedat ſplendoris & majeſtatis curioſo eminus oculo arbitrante.

Duplice quodvis templum contignatione ſeparatum, ſuperiorem æſtivis temporibus, inferiorem hybernis ſemper calefactam ſibi vendicantibus, conſuetum ebriorum & vagabundorum contra noctem & frigora aſylum, & diverſorium; omnes templorum parietes imaginibus Sacris, quibus ſimplicitate tantum non idololatrica plus æquo colendis valde exorbitant contecti, Divæ Virginis, & Sancti Nicolai iconibus potiſſima ſpatia ſolitis occupare.

Intro greſſi nos Sacris operantem popam

pam non vidimus, cum laicorum nulli præſertim Romano, Lithurgiæ pateat conſpectus: fermentato hæc pane, & vino ritu græco peragitur, illaque in Chriſti corpus & ſanguinem tranſubſtantiari rectius ſentiunt, quàm qui Chriſti carnem in remanente panis ſubſtantia, fide manducari fabulantur. Sacrificia & preces pro vivis & defunctis offerunt, errore tamen imbuti primis ſæculis perquam familiari animas cælo adhuc extorres corporum ſuſpirare unionem poſt judicium ultimum cælis modo recipiendas.

Euchariſtiam ſub utraque ſpecie diſpenſant: Baptiſmi materiam formamque, exorciſmos item, ſalis, unctionis, & albæ veſtis ceremonias ritè obſervant; eâ ſolum differentiâ quod crucem totâ vitâ geſtandam collo appendant, colendique perpetuò Patroni imaginem tradant, & aquam in hunc finem benedictam vertici non aſpergant, ſed in eandem catechumenum ter immergant, nulli dein ob attractam originalis peccati labem uſui futuram.

Peccata ſua articulatè Sacerdotibus confitentur, Scrupulosâ & numeri & ſigilli ob-

ſervatione, quibus etiam debitâ abſolutionis formâ eadem remittuntur. Jejunia quatuor & ciborum, & conjugalis debiti celebrant abſtinentiâ, graviter violatoribus ſi innoteſcant caſtigatis.

Sacra Biblia Sclavonicâ interpretatione, quæ lingua eorum Sacra eſt, cuſtodiunt translata, & religiosè venerantur, nullius aliàs linguæ Popæ eorum præter vernaculam & Sclavonicam gnari, nulla illis ſtudia, nullæ conciones, diſputationes nullæ; Patriarchâ & Czaro fidei controverſias inter ruthena ingenia vix exortas definientibus.

Monaſteria habent plurima, Monachis monialibuſque qui Divi Baſilij inſtitutum profiteantur refertiſſima; ſed forſan à priori fervore multùm degenerantia: Contigit nos cum Strelizis plateas ob Lutum profundum perpetuo ponte ligneo ſtratas tranſire; cum obviam Monachus pro more crucem ſignandis hominibus geſtare, Strelizis ductâ à fronte ad pectus, dein, quod ſolent præpoſterè, a dextera ad ſiniſtram cruce benedictionem impertiri, cum ſurgentibus Mulſi crematique fæcoſis ſpiritibus ſic in vertiginem gyratus ut è ponte prola-

prolapſus ceptam benedictionem depontanus iu ſtercore tanquam pinguedine terræ abſolveret.

Papis eorum ut altari ſerviant unum eſt neceſſarium, ne ſcilicet ſoli ſint, ſed adjutorium habeant ſimile ſibi. Nullus ad altaris miniſteria ſine conjuge admittitur, nec poſt ejus fata, interdictâ bigamiâ, in ijſdem conſervatur. Privilegio item Canonis omnes gaudent, at non niſi in pileolo, quantumcúnque enim Popam concuſſeris; modo pileolo, qui in conſecratione ab Epiſcopo imponitur nunquam niſi inter tondendum deponendus, peperceris, impunè totam feres inſolentiam.

Nuptias Ruſſi contrahunt ſolis amicis agentibus ignoti cum ignotis, prælij domeſtici futura nobilis occaſio: Filias etenim ſuas domi occultiſſis recluſas penetralibus, nec unquam viſas deſpondent, quæ ubi rato matrimonio in thalamo virgines inventæ non fuerint, in monaſterium detruſæ crimen caguntur monaſticâ continentiâ (quantum oculos effugere poteſt) expiare.

Agonizantes Monachos ſolent induere ut cæli janitorem Divum Nicolaum, cui etiam ſalvi conductûs litteras â popis deferunt, magis ſibi concilient; ſed timendum ne alterius ſæculi *fiſcalis* de falſi crimine eos poſtulet. Mortui poſtquam loti albis induuntur, præficis ad ſepulchrum uſque cauſam mortis â defuncto querulâ nænia rogitantibus, & panis, mulſi, cremati-que copiam objectantibus, & reliquorum quæ vitam beare ſolent abundantiam prædicantibus. Vidimus inſuper in maritorum ſepulchra inſilire mulieres, viris muliebri fortitudine commorituras, & tam diu in ſepulchro perſtituras, donec glebæ injiciendæ fieret initium; ridiculum hic quam citis pedibus ſepulchro evolârint commoriturae paulo ante viris conjuges, & muliebrium lacrymarum ſimulatam docuerint vanitatem.

Cætera quæ Ruthenorum religionis rituumvè ſunt, quia oculos, habitóſque cum ipſis diſcurſus effugerunt, præmitto, nolens Lectoris animos, compilatis librorum furtis onerare, & ijs, quorum veritas mihi

hi ſuſpecta, conſarcinandis relationis veritatem dubiam reddere & ſuſpectam.

Caput XXI.

Diſceſſus Dominorum Ablegatorum ex urbe Moſcua
7. Novembris.

ALiquot dierum moram Czarus conceſſerat, ut relegendæ viæ neceſſaria procuraremus; nec Ipſe ſuâ deerat munificentiâ, quâ quemque noſtrûm habitâ officij ratione muſtelarum Scythicarum exuvijs â ſummo ad infimum bearet, liberali ſuperadditâ vini Franſici, toſtorum piſcium aliorúmque victualium annonâ. Muneribus viciſſim, & honorarijs Domini certabant Ablegati, quêis Czari miniſtros donabant: *Artamoni Sergievvitzio* quiſque ſuum propriæ ſellæ equum, non minus Majeſtate quàm generoſitate nobilem, Scholaſticiſque Cæſarei hippodromi diſciplinis excultum offerebat, qui cum in exterorum moribus, & habitu obſervandis præcæteris curioſus, affe-
ctus

ctum pariter suum circa eorundem vestitum Germanico Austriacum ferri ostendebat.

Ut autem hic splendidus, ita authoritati muneris quo fungebantur maximè congruebat; Dominus de Bottoni fusci coloris holosericum, vario florum genere contextum, Versicoloribus liberali auro argentóque lemniscis fimbriatum, attalicaque telâ suffultum pallium vestémque induebatur.

Elegantius Domini Terlingereni de Guzman vestimentum palliúmque serico nigrâ tincturâ imbuto, & quod laboriosa manus mirum pretij, & operis ornamentum, artificè acu pinxerat, argenteis limbis eleganter circumductis mirificè Ruthenorum oculos capiebat. His primùm ante *Czari* conspectum quisque conspicuus in publica audientia comparuerat; alijs non minus decoris, & Locupletibus in secunda mutatis inter se suffulturæ, limborum, & telæ sic vicibus ut Dominus de Bottoni Serico nigro, & fimbrijs argenteis, Dominus verò de Guzman panno fusco, & lemniscis aureis magnifici incede-

cederent. Ab his Czareo gazophylacio pro ævi memoria reſervanda, veſtimenta duo obtinuit Artamon factâ Muſtelarum Scythicarum exuvijs compenſatoria remuneratione.

Dictus interea diſceſſui noſtro dies, ob ningentis cœli tempeſtatem, & terræ in uligionoſas paludes ſolutæ profunditatem inſtituendo itineri minime Propitius; verùm cùm impedimentis onerati jam currus, omniáque diſpoſita, prandio ſumpto *Moſcuam* reliquimus, eâdem quâ ſuſceperat pompâ nos dimittentem. Dominis Ablegatis Czareus currus, nobis ex ejusdem ſtabulo equi, legióque pedeſtris tympanis perſonantibus, tibijſque concinentibus ad flumen uſque *Moski* inſerviebant. Plurimi hoc littore Teutonum, inter quos Reſidens Daniæ, valedicentes profecturis omnem â Deo felicitatem precabantur.

Jam tenebris operta telluris facies, & cæca noctis caligo undíque nos involvebat, tanta quóque inópinatò frigoris acerbitas oriebatur, ut magno cum periculo,

Moski

Moski fluvium traijcientes concubiam noctem impenderimus, alterum ſolem in ſuburbio extra *Strelizam Slovvodam* expectaturi.

Comœdia à Germanis Czaro paucis poſt diebus adornanda inſtabat, quem ſuis facetijs, additâ cujuſdam peqiſſequorum noſtrorum arte mimicâ abundè oblectandum, Comici Teutones perſuadebant. Geſticulator is erat, ſuiſque ludicris & ſubdolis actionibus oculis illudens multos ſpectatorum, Moſcorum præcipuè non in ſui admirationem modo, ſed in unanimem ſententiam adduxerat, ut magiæ diabolicæ artificem faſcinatorémque proclamarent, imo nec res luſibus ſubminiſtratas, cultros ſcilicet ſtrophyola pecuniamque frequenti crucis ſignatione muniti recipere, animos nobis fruſtra addentibus, deluſoriámque velocitatem prodentibus adigerentur. Hunc ad tempus retinendum, quo artem ſuam *Czaro* & *Czaritſſa* exhiberet Germani cum Moſcorum præcipuis apud Dominos Ablegatos, irrito ſæpius labore ſollicitabant: factum hinc ut ipſum hoc ad Magni Ducis aures

poſt


poſt diſceſſum noſtrum deferretur, qui ſubito Dominum Meneſium belliducem ad Romanorum Imperatorem, Summúmque, Pontificem quondam oratòrem cum interprete revocando memorato pediſſequo ſubmiſit. Adſunt illi tertio poſt die veredariâ trahâ nivis lubrica deproperantes, Czari deſiderium inſinuant, rogant, obteſtantur, eundemque proximè multo donatum præmio remittendum promittunt; perſuaſus ille Leninis Ablegatis nullas libertati ejus leges ponentibus, adjuncto viarum comite Moſcuam reverſus eſt, nec inde remiſſus ante, quàm iteratâ vice *Czari*, & *Czariſſæ* oculis in proprio conclavi arte ſuâ illuſiſſet: Redijt is ad nos Wiſterwitzij in Moravia omnibus quæ dono à Czaro acceperat conſumptis.

Nec adhuc frigoris aſperitas quidquam remiſerat, ſed ingraveſcebat quotidie magis, paludéſque omnes ac flumina, gelu concreta ferendis impedimentorum curribus pontes ſtraverant, tranſitum nobis faciliorem promovendo. Copioſæ autem nives, quæ ſtrata undique viarum operverant, canthis radijſque curulibus adhærentes,

rentes, rotas sufflaminabant, quo minus liberè properèque in gyrum agerentur. Hinc substitutis istorum loco in *Mozaysko* trahis intra diei spatium duodecim, & plura milliaria germanica confecimus, & cum ob continuas sylvarum vastitates, nec diu noctuvè interdum quo diverteremus oppidum tangeremus, in medijs dumetis ad excitatos focos erat pernoctandum: pane hic & cerevisiâ congelatis cum vesci nemo posset, cremato per noctem exanimata propemodum frigoribus membra revocillabamus, usque adeo & mane pruinâ canescentes, ut plerisque *Botvvotarum* copiosiori barbæ lanificio dotatis prælongæ stiriæ halitu concretæ ora circumvallarent. Continuabat aura hæc adeóque vehiculis nostris favebat, ut quatuor septimanarum spatio ducenta pluráque milliaria germanica emetiremur.



CAPUT



CAPUT XXII.

Reditus Viennam 16. Februar. 1676.

QUo majorem in his ſeptentrionalibus mundi plagis contrariantem naturæ temperiem mutato climate experti, eò ardentiorem patriæ frequens & votum & ſermocinatio prodebant amorem. Non aëris inclementia, non frigoris aſperitas, non dentium feriæ, & annonæ penuria tædioſas poterant anhelantibus creare moleſtias, qui felicem elapſo brevi tempore non inglorij ſperabamus conſummationem. Quotquot enim Viennâ egreſſos numeraveris ſolum germanicum varia licet ob inordinatum in via vivendi modum morborum genere ad unum omnes affecti, vel ab ipſa Legatione ſuâ ſponte liberi repetiverunt. Unum demas Laurentium Rinhuberum Do-

ctorem Medicum, qui solus tertiâ jam vice has terras emensus, Moscoviticâ tandem allij ceparumve allectus suavitate, Ruthenorum amplexus genium remansit: Hic Archiatri honoribus per aliorum medicorum invidiam repulsus abs Czaro Interpretis titulo insignitus est. Varij enim Moscuæ medicinam profitentes germani, quos vel multis annis studiosos universitas, vel chirurgos tantùm omnisque Latinitatis expertes diuturnâ probatos experientiâ sola Magni Ducis authoritas in doctoratûs gradum evexit commorantur; Cæteros illorum aphorismos, hæc te ardentem febrim curandi methodus docebit. Oculatus narrabat testis Dominus Schultetus Ablegatus Brandeburgicus, qui *Pristafum* suum hujus malignitate correptum cum inviseret; ecce tibi grandia glaciei frusta præscribente medico decumbentis capiti, arterijs, pulmonibus, pectorique imposita conspicit, quibus solvendis omnis corpore detenti caloris vis expugnaretur; nec incassum, tertio post die Pristafus surgere, commissum negotium

tium restinctis æstibus sanus executurus. Et hoc contraria contrarijs, vim vi repellere.

Alexander Brandel stabuli Magister, sub Electoris Brandeburgici, Battavicisque signis militare officium prensaturus; Polonus itidem Interpres *Regio-montij* in Prussia valedicunt; Pedissequa ibidem viæ onera ferre non sustinens remansit; Terni alij stratores Poloni *Gedani* discedunt; Qui vero supererant cum Dominis Ablegatis conjuge, & filia universim quatuordecim in finem usque perseverârunt.

Cæterum eandem remensi viam muneribus, & ceremonijs ab Urbium Magistratu excepti ijsdem, quæ ne Lectorem tautologiæ ambagibus involvam lubens prætermitto. Singularem tamen Officialium Brandeburgicorum benevolentiam non possum non laudare, qui Insterburgi præter viarum ministeria, lauto commeatu, Piloviæ verò ad mare Balticum tormentorum festivâ exoneratione viarum molestias sunt consolati.

Vien-

Viennam ut tetigimus, fatalis omnes morbus pressit, si Dominum Ablegatum primarium Dominum de Bottoni, qui fatis concessit, excipias, at non oppressit. Vivimus etiamnum salvi, nec viarum territi laboribus Cæsareo obsequio easdem relegere meditamur.

Atque hæc benevolo lectori communicanda, non tam meo quàm aliorum id urgentium calculo duxi; quæ si vernacula desideras propediem â me transumenda, germanico idiomate expecta, boni consule, & vale.

FINIS.

